BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
13. B
7

Digitized by Google

AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM ALFONSVM DAVOLOS DE AQVINO,

Marchionem Vaſti, Montis herculis Principem, Regni citerioris Siciliæ Magnum Camerarium, Cæſareique exercitus Imperatorem inuictiſſimum Lucæ Gaurici ſeruuli Prædictiones ſuper omnibus futuris luminarium deliquiis, In finitore VENETIANO. *Anno humani uerbi* M. D. XXXIII. *examinatæ.*

Figuræ cœleſtes Venetiarum, Bononiæ, & Florentiæ.

Paraphraſes, & annotationes in Claudii Ptolomæi libro. ii. Apoteleſmatum ſuper luminum eclypſibus.

Procli Diadochi Lycii

Decreta eclypſium utriuſque luminaris, quæ in quolibet ſignorum decano accidere poſſunt.

Interprete Laurentio Miniatenſe.



Romæ M. D. XXXIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

5-20-A-[illegible]

68. 13. B. 7

Medium Eclypſis Solis.



Ad Deum cunƈti potentem.

Qui regis æthereos orbes, & lampada Phæbi,
Et uarios Lunæ curſus, ſtellasq́ uagantes,
Fleƈtis in obliquum ſimili ſub lege rotantes,
Rore tuo aspergas uatem, quo dicere poſſit,
Quid iam portendant miſeris mortalibus omnes
Defeƈtus Lunæ triſtes, Solisq́ labores.

DE SOLIS ECLYPSI M.D.XXXIX. CELEBRANDA.

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMANUELE

ABENTE Anno Virginei partus M.D.XXXIX. die ♀ XVIII. Aprilis, hora. x x. M. xxxviii. iuxta Italicum horologium, ſcilicet, ab occaſu Solis diei præcedentis, in finitore Veneto, Sol Lunæ obiectu incipiens pedetentim ſub viij. Tauri gradu delitеſcere, per viij. cœli ſtationem progrediens, negociatores affliget (Proclus Diadocus Lycius, inquit) eorumque contractus, ut plurimum irritos faciet, & ijs qui e mercibus quæſtum faciunt uehementer obſiſtit. Semina ſulcis terræ commiſſa plurimis in locis peribunt, nec omnino ſata pululabunt: unde penuria frugum, ſatorumque continget. Magni præterea Regis, atque Inclitæ Reginæ, ac ſeniorum, iuuenumque mortes denunciat. Si quiſpiam in ſui natalis themate habuerit Aphetas, hoc eſt Solis Lunæ horoſcopum, ſortem fortunæ, & prædominatrices in his quatuor locis erraticas quippe ſtellas, & potiſſimum lumina re cōditionarium, utpote Solem in natiuitate diurna, aut Lunam in nocturna ſub prima Tauri, uel Scorpij decuria, aut. iij. Virginis, & anni regem male affectum pleureſi, morbo ueterno, aut gallico, apoplexi, malaque cerebri diſtraſia, ſtomachi, cordisque cruciatu, angina, febribus peſtiferis, uel papulis urentibus conflictabitur: præſertim Accolæ regionum, quæ dictis ſubiacent Aſteriſmis, inquit enim Meſala. Quādo fuerit Solis Ecly

pſis, non poteſt fieri (niſi Deo aliter operante) quin ſignifice-tur aliquod magnum accidens in mundo ſecundum quantitatem ipſius eclypſis, quoniam uti Mantuanus cecinit Homerus.


Sol tibi ſigna dabit, ſolem quis dicere falſum
Audeat? ille etiam cæcos inſtare tumultus
Sæpe monet, fraudemq́, & operta tumeſcere bella,
Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit.

Licet authoritate tantorum uirorum Solis labor ſemper quodammodo, non niſi grande aliquid mali portendere uideatur: Nihiloſeccius & Ptolemæi ſententia, cui plurimum tribuo, alma Venus deliquij hoſpitatrix in ſua altitudine, quanquã falciferi diametro ſauciata in ſexta cœlorum ſtatione, quæ mala nuncupatur fortuna, & Iuppiter in ſequẽti cardine altitudinis prærogatiuam ſibi arrogans, hoſce pernitioſos defluxus mitiores redigent, & magna ex parte, Dei nutu, elangueſcere facient.

Cæterum phœbeus ille labor, iuxta Caldeorum, ſiue Arabum dogmata ſuos producet effectus uertente anno Chriſtianæ lyturgiæ M. D. XLVIII. Menſe Octobri; cum Auguſto autem Anni M. D. L. prorſus euaneſcent; Anno denique M. D. XLIX. uigebunt multo deteriores. Ego autem magis aſſentirem ijs Neotericis, qui dijudicarent huiuſcemodi phœbeos afflatus auſpicari circa Idus Martij M. D. XL. demum terminari Anno M. D. XLII. Labente autem M. D. XLI. atrocius debachari; Quin etiam circa Idus Octobris ad Calendas uſque Decembres M. D. XXXIX. cum Aeſtate, & Autumno M. D. XL. Verum


Effluat ut cœli deſluxus quiſque malignus,
Tu pia, tu clemens, tu dulcis uirgo, benignum
Digneris rogitare tuum, ſanctiſſima, natum,
Excelſumque patrem, potis eſt qui uertere curſus
Aſtrorum in melius, iuſſit qui lege rotari
Sydera, qui fruges diuerſo tempore naſci
Iuſſerit, & terras medio liberauerit Axe,
Qui uariam phœben fraterno fecerit igne
Compleri, ſolemque ſuum, ſtellasque micantes,
Quæ lucem innatam retinent, non indiga lucis,
A Sole accipiunt lumen, uelut ille Ioannes
Picus, quem genuit Mirandula dixerat olim.

Medium Eclypſis Solis. Lati.xlv.



	Die eodem						horoſcopante
	D.	H.	M.	G.	M.	S.	
Aprili Mercu.	7	9	46	5	9	Ari.	Initium
		10	48	3	3	Tau.	Media
		11	50	26	26	Tau.	Finis
Dimidia duratio		1	2				
Tota duratio		2	4				
Eclyptica puncta ferè		11	55				

Labor Solis.



Solis labor M.D.XL. celebranda.

Vanquam Solis, ac Lunæ meatus ſub eclyptica, Solis ſcilicet orbita pares numero ſint, Luna tamen pluries quàm Sol defectum patitur. Quippe Sol maximus, & Luna minima. Iccirco totum illud corpus maximum, raro admodum a paruo haud facile uelari poſſe contingit; Nihilo tamen ſecius ex huiuſcemodi horrifica, & quodammodo portentoſa Solis deliteſcentia manifeſtum quippe erit totum ferè corpus ſolare interuentu corporis lunaris obumbrari, ueluti Lunam crebrius terræ obiectu. Anno ſiquidem ſalutis humanæ M.D.XL. fluente die ☿.vij. Aprilis per horam fermè priuſquam centrum corporis ſolaris ſupra Venetianum finitorem exoriatur, Sol gradatim incipiet ſub umbra deliteſcere, utpote hora.x. diducto quadrante; Hora autem.x.cum ſcrupulis.xlviij.totus quodammodo phœbeus ille orbis antea fulgentisſimus ſub tenebris deliteſcet: adeo quidem, quòd ſi quampiam fortaſſe temporis morulam peragraret in tenebris, exẽplo rurſum nox intempeſta rediret; ſed iam tandem hora.xij.ſubductis decem momẽtis uniuerſum corpus ſolare in priſtinam eius lucem ſplendidisſimam redigetur.

Verum enimuero Luſitani, & cum Hiſpanis (ij qui occiduas incolunt regiones) huiuſmodi phœbeos labores haud quaquam intueri poterunt. Degentes autem apud Hieroſolimam, Bizantium, Rhodon, Cyprum, Cretam, Perſicáque, & radijs iuga ſubdita matutinis, abſque aliquo impedimento conſpicient

illius eclypſis initium, medium, atque finem.

Obſcura donec rutidos ferrugine ſolis
Impediet radios cynthia luce carens.
Magno Turcarum Regi, multiſq; tyrannis
Portendit mortem, maximus ille labor.
Ante proculdubio, quàm ter luſtrauerit orbem
Signiferum phœbus, tergáque lanigeri.

In noſtris autē regionibus aureis eodem anno M. D. X L. *uertente, ſuos confeſtim incipiet producere exitioſos euentus, quos uſque adeo continuabit, quo ad anni* M. D. X L I I. *prima Aprilis effluxerit hebdomada; Multo tamen deteriora ſcaturient mala inferius enuncianda, in tempeſtatis illius meditulio, utpote anno ſalutis* M. D. X L I. *uertente, potisſimum menſe Septembris, & Octobris, quin etiam* Vere nouo, Aeſtate, & Autumno *anni* M. D. X L. *Sol igitur ſub tertia* Arie*tis decamoria deficiens; Triſtitiam, inquit Proclus, & luctum afferet mortalibus, Regis præterea Eoi carceres, aut obitum, pecudumque perniciem obnuntiat; Sed (uti ex* Claudij Ptole*mæi ſcriptis elicitur) labor Solis in cacodemone celebrandus ſub. iij. V. decano maximam aeris alterationem, atq; uredinem excitabit. Saturnus anguli præcedentis, utpote culminantis cœli œcodespotes, nodo auſtrino, platice tamen alligatus; &* Mars *deliquij hospitator per ſextam cœli ſtationem retropedans, licet ſtellæ ſalutares* Martem *felicibus radijs intueantur, ingerere conſueuerunt phætonteos in aere uapores, in uentos calidos corporibus animantum exitioſos, corruſcationes, fulgura, ac*


uarijs

uarijs horrenda tonitrua terris, nimbos procelloſos, terræ motum, aut uaſtos telluris hiatus, in mari naufragia, ſubitasq; nauium ſubmerſiones, propter uarias hincinde uentorum conflictationes, pyratarum rapinas, armentorum nedum ouium internitiones; pluuiarum raritates, in fluuijs, ac fontibus aquarum diminutiones, torrentesq; fient aridiores, Item uites, ficulneæ arbores, prataq; olim uiridantia, & fœtus arborei plurimum areſcent: quibus miſeri mortales annone penuriam, famem, epydimiam, aut ex febribus peſtiferis, papulisq; urentibus, mortem deniq; perhorreſcant: plurimi quoq; martigene, & plebei miſerrimam deguſtabunt internitionem; multi præterea in exilium, aut atros carceres demandabuntur, aut capite mulctabuntur; Iouiales dumtaxat pleriq; cum Venereis, præ cæteris læta ſorte fruentur; huiuſcemodi pernitiem, cœliq; inclementiam perhorreſcant potisſimum habentes in natalis, atq; uoluminis ſchemate cœleſti luminaria, aut horoſcopum ſub.iij. V. m. Lib. decuria, anniq; regem illis temporibus male affectos. Sed tu


Summe pater diuum, qui nutu ſydera torques:
Hos præcor afflatus cœli compeſce malignos,
Humani generis ſeruator, parce rogamus
Criminibus noſtris; & tu Regina dearum
Chriſtiparens peſtem, atque famem propelle nefandam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Medium deliquii Lunæ.



	Eodem Die			horoſcopante.		
	D.	H.	M.	G.	M.	S.
		9	0	21	13	Capr. Principium
Martio Satur.	12	10	48	0	1	Piſ. Medium
		12	37	20	9	Ari. Finis.
Dimidia duratio		1	49			
Tota duratio.		3	38			
Mora in tenebris		1	20			
Eclyptica puncta.		16	0			



Ertente anno chriſtianæ lyturgiæ M.D.XLI. *die Saturni.iiij.Idus Martij,nocte ſequente,ho ra.ix.ab occaſu Solis,ſtatim pulſata,cynthia no ctis hon os,paulatim incipiet eclypſari;* Hora autem.xi. *ſubductis.xij .minutis, tota ipſius corporis lunaris medietas (quam nos inſpicere conſueuimus) obiectu terræ ſub tenebris commorabitur per uniuerſam trientis,& horæ unius intercapedinem, quum primum.xij.effulſerit hora,exoriente phœbeo iubare ful gentiſſimo,qui tunc uixerint Lunam ipſam coſmice occidentem, ad infernumque hemiſpherium mox accelerantem, haud qua quam conſpicient,niſi fortaſſe noſtri circumcolæ,qui in ea qua & nos habitata terræ Zona degentes, clima illud inhabitant, quod nobis ſub terra eſt;*Huiuſmodi *Lunæ defectus in octaua,& ſeptima cœlorum ſtatione celebrandus ſub prima che larum decuria paulo poſt Idus Octobris* M. D. X L I. *e plebecula plurimos, ex diſinteria,ſeu uentris profluuio,cholica paſſione,aut febribus peſtiferis tollet e medio uiuentium antequam anni* M. D. X L I I. *totus* Februarius *abſoluatur.* Et *uti pheludienſis* Ptolemæus *ſcripſit in ſeminibus, ac uegetabilibus putredinem inferet,& quod* Dij *prohibeant,famem, & epidimiam.* Proclus *inſuper dijudicaret grandinum, ac uentorum ingentem copiam, & crebra nauigantibus naufragia.* Alma *tamen* Venus *deliquij hoſpitatrix, licet in cacodemone huiuſcemodi infortuniorum genera plurimum mite-*

ſcere faciet, præter bellicos tumultus, & oculorum dolores' præſertim ijs, qui habuerint luminaria, uel boroſcopum non procul à ſecunda Arietis, aut chelarum parte, uel circa finem Virginis, ubi nodus erit auſtrinus. De miraculoſisſima, ut ita dixerim, Solis eclypſi in paſſione Domini celebrata, Alias (Deo auſpice) ſatis abunde pertactabimus.


IN TYPICAE ARTIS LAVDEM.

Tingere diſpoſitis cartas quicunque metallis
Cœpit, & inſignes edidit Aere notas,
Mercurio genitore ſatus, genitrice Minerua,
Præditus æthereæ ſemine mentis erat.
Non illum Cereris, non illum cura Lyei,
Terrenæ tenuit non opis ullus Amor.
Copia Librorum cupidis modo rara latinis
Quum foret, auſpicijs illius ampla uenit.
Improbus innumeris Librarius ante talentis
Quod dabat, exigua nunc ſtipe uendit opus.
Hiſtoriæ uenere Titi, ſe Plinius omni
Gymnaſio iactant, Tullius, atque Maro.
Nullum opus, (o noſtri feliccm temporis Artem)
Celat in archano Bibliotheca ſinu.
Quem modo Rex, quem uix Princeps modo rarus babebat,
Quiſque ſibi Librum pauper habere poteſt.



	D.	N. H.	S. M.	horoſcopo G.	M.	S.
		12	23	18	46	Sag. Principium
Ianua. Mercu.	9	13	57	12	13	Capr. Medium
		15	41	1	38	Aqua. Finis.
Dimidia duratio		1	44			
Tota duratio		3	28			
Mora in tenebris		0	41			
Eclyptica puncta		12	46			

Deliquium Lunæ.



d Iuus Hermes Aphoriſmo.lij.inquit. Fiunt in mundo multa incõmoda, quando erit in uno menſe utriuſq; luminaris deliquium, præcipue in his locis in quibus eſt ſignificatio eius specialis. Lunaris igitur defectus ille, circa ultimam Can. partem celebrandus, in.viij. & vij. cœli ſtatione non procul ab aſellis duobus, & caniculæ ortu, poſt Idus quoq; Octo. M. D. XLIIII. trimeſtrem, & dimidiatam ferè intercapedinem ſuos continuabit inſalubres euẽtus, quippe qui in mulicbri ſexu, atq; plebecula ſubitos morbos, & quidem peracutos, quin & ſtomachi, cordiſq; cruciatus acerbisſimos, uomitũ, disſinteriam, morbum ueternum, pleureſim, apoplexim, febres contagioſas, ac repentinam necem obnuntiant celerem inſuper magni Principis, præcellentesq; uiri obitum, inquit Proclus, pleroſq; principes, ac proceres calcitrabit, & ad ima detrudet. Ruſtici præterea, & martigene impij pleroſq; mites uiros, ac probitate refertos ab eorum dominio profligabunt, aut interiment, ceu carceratos, uel in obſidione tenebunt; metuant mortem potisſimum plebei, mulierculæ, & ſeniores habentes præcipue utriuſq; thematis horoſcopum uel luminare conditionarium circa ultimam Can. aut Capr. partem, uel quartã Leonis, ſub qua nodus auſtrinus progredictur.


Iuppiter in ſummo cœlorum apice a maleficis obſeſſus, Iouialibus plurimis, ac religioſis, prælatiſq; magnis mortem obnuntiat uiolentam, aut repentinam; perhorreſcant quoq; mortem ha

bentes in horoſcopo, aut locis luminarium ſecundam Scorpij de curiam. Infelices hi cœlorum defluxus exordientur gradatim menſe Decemb. M. D. XLIIII. & continuabuntur per uniuerſam ferè Verni temporis intercapedinem anni M. D. XLV. immo uertentibus annis M. D. XLIIII. & M. D. XLV. uirginei partus.

Proh dolor, heu multo ſpumantes ſanguine campos
Aſpicio, & penitus procliuem ad crimina mundum.
Nequitia inſurget, uirtus calcata iacebit,
In facinus iuraſſe putes, qui caſtra ſequentur,
Tu pater omnipotens, qui ſolus ab æthere ſummo
Cuncta uides, qui res hominum, curasq́; recenſes:
Da tantis finem erumnis, rebusq́; ſalutem.


Aduertas autem candide lector, quòd ſi luminarum eclypſes per dimidiatam horę unius intercapedinem anticipauerint, earum quoq; apoteleſmata, ſiue effectus ſpacio. xv. dierum citius exordientur, Sin. xl. ſcrupulis horarijs, intercapedine. xx. dierum, & ſic deinceps, ueluti ex ſequente elicitur tabellula.

Hore	Mi.	Dies
0	30	15
0	40	20
0	50	25
1	0	30



		Eodem Die		horoſcopo		
	D.	H.	M.	G.	M.	S.
		15	42	19	10	Piſ.Initium.
Ianua.10.	24	16	42	18	25	Ari.Medium.
		17	45	14	18	Tau.Finis.
Dimidia duratio		1	3			
Tota duratio		2	6			
Puncta eclyptica		11	17			

Solis labor.



m Eſala inquit, Quum fuerit Solis Eclypſis, non poteſt fieri, niſi Deo aliter operante, Quin ſignificetur aliquid magnum accidens, ſecundum ipſius eclypſis quantitatem. Pertremebundus igitur Solis ille labor in cacodemone, & .xi. cœli templo ſub. ij. Aquarij decuria celebrandus. Die Iouis. xxiiij. Iani hora. xvi. Anno a conciliata diuinitate M. D. XLIIII. labente, plurimis miſeris mortalibus excitabit febres quartanas, atque peſtiferas, ſtupores pleureſim, appoplexin, morbum ueternum, morbillos, hulcera, bubones exitioſos, crudelem epydimiã, famem, & ultimum deniq; terribilium, Bellicos prætera furores, cruentas inſontum ſtrages, publicum merorem, luctum, depopulationes, incendia, furta, rapinas, uiarum abſciſiones, atros carceres, aut exilij incommoda. inter plebeos, & proceres opulentos; odia, lites, rixas, diſſidia, & mutuas ſimultates, magni Principis, & inclytæ mulieris mortem obnuntiat; uolatilibus quoq; interitum, fructibus putredinem, aut ex uermibus, ſeu locuſtis uredinem. Spirabunt inſuper uenti horribiles, quibus plurimi ſulcantes equora nauibus, ſubmergentur; decident ſæpius nimbi, procellæ, grandines inauditæ, crebræ corruſcationes, ignitæq; trabes.

Fulguráq;, & uarijs crudelia fulmina terris,
Horridus, infandum, tremebundo crine rubebit
Regnorum euerſor tacita ſub nocte cometes.
Quin etiam terræ motus, quo plurima multis
Fundamenta ruent terris, niſi denique ſummi

Tunc faueat miſeris clementia ſumma tonantis
Ille igitur poterit felix, dicíq; beatus
Ter nimium felix hos, qui ſuperauerit omneis,
Cœlorum afflatus prudens, ſapiensq; nefandos,
Quandoquidem, ut perhibent, cœli dominabitur Aſtris,
Eſt etenim fatis, hominum prudentia maior.


Supradicti uero cœlorum defluxus pernitioſi uigebunt infra Calen. Aprilis M. D. XLIIII. & Idus Sextilis M. D. XLVI. Secundum neotericos genethliacos. Sed uti hales Rodoan & cæteri Arabes edocuere continuabuntur ad Calendas uſq; Aprilis M. D. XLVIII. pernitioſiores autem aderunt Anno M. D. XLVII. In eos denique potiſſimum ſeuient, qui in eorum genituris habuerint natalis horoſcopum, aut luminare conditionarium, ſiue temporis ſub ſecunda, uel tertia Leo. Scorp. uel Aqua. decuria. Dein in reſiduo illius temporis cum miſeris mortalibus mitius agetur.

Summe opifex rerum cui rerum ſumma poteſtas
Pernitiem tantam procul hinc auerte precamur.



	Horologii					horoſcopante.	
	D.	H.		G.	M.	S.	
		23	21	11	25	Cap.	Initium
Iulio Vene.	6	1	12	16	14	Aqua.	Medium.
		3	3	6	13	Ari.	Finis.
Dimidia duratio		1	51				
Tota duratio		3	42				
Mora in tenebris.		1	30				
Eclyptica puncta		17	20				

Deliquium Lunæ.



Vna ſub.xxij.Capr. parte gradatim lumine ſuo deficiens,cacodemona,&.xi.cœli ſtationem infectans,& Sol non procul a nodo auſtrino in pigra domo,e regione collocatus,falcifer horoſcopi,& illius deliquij,ac ſequentis anguli hoſpitator in Martis domicilio per nonam uoluminis huius ædem ad Iouis coitum repedans ſub.iij.Scorp.decuria illicet poſt horam deliquij in hoc cœleſti ſchemate annotatam ad calcem uſque Nouemb. M. D. XLIIII.crebras concitabunt torrentium,atque fluuiorum, præcipue Tiberis,& Eridani inundationes,quæ agros late irrigabunt.Item inauditos pelagi fluxus, atque refluxus, & propter impetuoſos uentos,procelloſoſq; turbines,ſubitas minantur Nauium ſubmerſiones,pyratarumque inſultus,atque rapinas,ex terræmotibus pleraq; corruent ædificia.In oleribus,ac fructibus putredinem,aut propter uermes,& locuſtas uredinem,ſin minus,quiſque illo anno huberem annonæ copiam uaticinaretur. Nodus præterea meridianus cum Sole in.vi.cœli ſtatione obtalmiam,& oculorum dolores excitabit, adeo quidem quòd plerique illorum aciem deſiderabunt.Iuppiter in Mart. hoſpicio ad ſenis incurui falci tenentis coitum defluens. Maximi cuiuſdam Regis incliti,magniq; Iouialis,præclari principis,Ducis inuictiſſimi,præſtantiſq; uiri,atque reginæ,mulieris inclitæ interitum portendit: hanc cladem metuant potiſſimum habenteshoroſcopum,aut luminaria,& anni regem tunc male


affectos in prima, aut tertia Cancri, uel Capricor. decamoria.

Enarrati præterea cælorum afflatus exitioſi prouocabunt febres contagioſas, atque peſtiferas, hulcera tabeſcentia, bubones, tormina, disſinterias, acerbisſimos ſtomachi, cordisq́; cruciatus, tuſſes, uomitum, pleureſes, apoplexim, morbum ueternum, & gallicum, ſcabiem, & tandem genus omne malorum, quibus plurimi proceres; adoleſcentuli, nedum ſenes, quin etiam innumeri quodammodo ex plebecula ſexus præcipue fœminei interibunt. Ii denique cælorum defluxus pernitioſi concitabunt: crebros militum inſultus, exercituumq́; impetuoſas incurſiones, uiarumq́ue obſeſſores cateruatim ad rapinas, latrocinia, & peregrinantium ſtrages, quin etiam hoſpes non erit ab hoſpite tutus, irritabunt denique regum, ac principum animos ad tyrannidem ſolito ardentiorem in ſubditos, & populorum in tyrannos ſeditionem, & internitionem. Verum pleriq́; miſelli carceris, aut exilij incommoda deguſtabunt, fortunarumq́ue iacturas facient.

Aut capient iugulo laqueum, aut ceruice bipennim.


Truculente autem mortis auidas manus perhorreſcant potisſimum habentes horoſcopum, uel anni regem, aut luminare temporis, ut ſupra diximus, male affectos circa. xx. Can. uel Capr. partem, aut. xxv. Scorp. Accolæ præſertim regionum, quæ ijs ſubiacent aſteriſmis.

Medium Lunæ deliquium.



		Eod, Die		horoſcopo		
	D.	H.	M.	G.	M.	S.
		12	33	10	53	Sag. Principium
Decemb. Solis	28.	14	21	6	14	Capr. Medium
		16	9	4	56	Aqua. Finis.
Dimidia duratio		1	48			
Tota duratio		3	36			
Mora in tenebris		1	4			
Eclyptica puncta		14	20			

Deliquium Lunæ



Ertente adhuc Virginei partus Anno M. D. XLIIII. Die xxix. Decembr. Ab hora. xij. cum dimidia, uſque ad Solis ortum Luna non procul a nodo Auſtrino uniuerſale deliquium perpeſſura ſub. xviij. Can. parte per. viij. atque. vij. cœli ſtationem progrediens, Anno M. D. XLV. fluente pleriſque animantibus peſtiferas febres excitabit: quibus ex plebecula præſertim plurimi, & Matronæ cum muliere quadam inclita internitionem deguſtabunt: quippe defectus ille lunaris ingeret ſubitos in muliebri ſexu morbos exitioſos, miſeriam, ac necem repentinã. Inſurgent noui principes tyranni, a quibus (inquit Proclus) nullo humanæ paupertatis, ac miſerie habito reſpectu; Inſueta tributa, exactionesꝗ acerrime colligentur; magnaque ab eis theſaurorum congeries iniuſte conflabitur, & diuites plurimi atris detrudentur carceribus. In fructibus, ac uegetabilibus accident putredines, illisꝗ ueſcentibus pernitioſæ ægrotationes. Aquarum inſuper inundationes ſcaturient repentinæ, Quam hic præcinuimus cœlorum inclementinam anno M. D. XLV. præſertim Autumno, atrocius deguſtabunt Incolæ ciuitatum & oppidorum, quæ Can. & Capri. ſubijciuntur habentes potiſſimum Aphetas, uel ſaltem luminare conditionarium, aut thematis utriuſque horoſcopum, Annisꝗ Regem ſub. ij. horum ſignorum decamoria Quanquam tunc horam circiter. xv. ab occaſu Solis pulſatam, utroque ſydere conſpicuo ſupra terram, Luna ipſa priusquam priſtinam lucem aſſequatur paulopoſt, lapſa e noſtro finitore ſub terras ab


oculis illorum, qui noſtras incolunt plagas, penitus euaneſcat, Et ipſam repente noſtri dumtaxat circumcolæ in ortiua eorum cardine proſpiciant, Nihilo tamen ſeccius fatalia eiuſcemodi decreta, quæ iam enarrauimus neutiquam uſquequaque euanitus irrita effluent. Tu igitur

O lux, spes'ꝗ ſalus miſeris, o dulce leuamen
  Præſidium, o uotis diua Maria pijs.
O pia uirgo, Dei mater ſanctisſima quæſo,
  Quæ nullum in caſto corpore crimen habes,
Sint bellum, peſtes'ꝗ procul, fraudes'ꝗ doli'ꝗ,
  Te duce, det fructus terra benigna ſuos.
Tu præsſis longo populis, bellóꝗ faméꝗ
  Proſpicis, & pacis dona benigna refers,
Da pacem dea, da feſſæ requieſcere genti,
  Et nos a ſæuis eripe turbinibus.



	Noc. ſeq.				horoſcopo.	
	D.	H.	M.	G.	M.	S.
		1	54	15	27	Sag. Initium
Maio Merc.	4	3	24	5	23	Cap. Medium.
		4	44	0	25	Aqu. Finis.
Dimidia duratio		1	30			
Tota duratio		3	0			
Eclyptica puncta		8	0			

Deliquium Lunæ.



D

Ertente anno humanati uerbi M.D.XLVII.
u Die Mercu. IIII. Nonas Maij, pulſata.ij. noctis hora, Luna obiectu telluris incipiet ecly pſari in cacodemone, dein gradatim in.xi.cœli templo ſub.iij. Scorpij decanoria, & Mar. cecodespotes in occiduo cardine Saturni diametro intuitu uulneratus, ab Idibus Iunij ad Idus Septembris M. D. XLVII. Inter mortales, qui tunc uixerint, excitabunt turbas, rumores, odia, controuerſias, lites, ſciſmata, ſimultates, furta, rapinas, depopulationes, incendia, ædificiorum ruinas, cruentas hominum ſtrages, & plusquam ciuilia bella; Rex quidam potentiſſimus, & inclita mulier ex febribus peſtiferis, aut uenenatis diem ſuum obibunt. Verum.


Hic taceo manifeſta, Duces Regesq́ ſuperbi,
Vſque ſibi caueant a morte, & cæde cruenta.

Plerique etiam adoleſcentes nedum ſeneſcentes, præſertim Martigenæ, Saturniq́ radijs afflati, mulieres, ac plebei interitum deguſtabunt. Enarrati inſuper cœlorum defluxus pernitioſi obnuntiant morbos inſanabiles, & medicis incognitos, ueluti cancros, lepram, podagricos cruciatus, neruorum dolores, pytuitam, tuſſes, uomitum, anhelitus difficultatem, diſſynteriam, pleureſim, apoplexim, caligines oculorum, hulcera, ſcabiem, bubones ſecundum Ilia. morbum ueternum, & cerebri diſcraſiam. Redigent præterea pleroſque furioſos, phreneticos, inſanos, ſatuos, ſtolidos, mentecaptos, quos noſtri uulgo cataces appellare conſueuerunt. Solito maiora perpatrabunt adulteria, fornicationes, incœſtus, & pauca connubia. Ingerent præterea in

aere ignitas trabes, fulgura, corruſcationes, tonitrua horrenda, cometarum apparitiones, horrificas pelagi fluctuationes, fluxus, atque refluxus maximos, ſubitas Nauium *ſubmerſiones propter turbinoſas procellas, & uarias, crebraſq; uentorum concertationes;* Terræ *motus plurimos, & quidem uaſtos telluris hiatus;* Pyratarum *rapinas, oliuarum, & fructuum caſus, propter aeris intemperiem, uredinemque, uermes, atque locuſtas, detrimenta in uegetabilibus;* Rei *frumentariæ caritatem frugum inopiam, & ex conſequenti famem, mortalitatem, & in armentis, præcipue equis, mulabus, & uaccis, tauris, atque bucefalis.* Præ *cæteris hanc pernitiem perhorreſcant* Accolæ *regionum, ſeu ciuitatum, & oppidorum, quæ* Tau. Can. Sco. Cap. *ſubiacent: potiſſime habentes horoſcopum, & luminaria præcipue conditionarium, utpote* Solem *in genituris diurnis, aut* Lunam *in nocturnis ſub. iij.* Tau. *aut* Scorp. *decamoria aut prima* Canc. *uel* Capr. *male affectos, aut aphetas anni* Regem, *& natalis horoſcopum a maleficis ſtellis ſauciatos, abſq; beneficarum felicibus radijs.* Aphetas Græco *uocabulo annorum diſtributores appellant.* Eſſe *autem aphetas* Ptolemæi *obſeruatio arbitratur, luminaria, horoſcopum, partem fortunæ, & prædominatrices in dictis locis erraticas ſtellas.*



		Ab occaſu		horoſcopo		
	D.	H.	M.	G.	M.	S.
		22	39	8	33	Ari. Principium
Octobr. Ve.	28	0	20	20	57	Tau. Medium
		2	0	20	49	Gem. Finis.
Dimidia duratio		1	40			Lunæ deliquium.
Tota duratio		3	20			
Eclyptica puncto		11	35			




Oluente Anno a conciliata diuinitate M. D. XLVII. die Veneris. xxviij. Octob. hora xxiij. diducto uno triente, Luna in. ij. Tau. decuria ſub terris infra ortiuum horizonta incipiet pedetentim delitescere ſub umbra; In ipſo autem Solis accubitu (utroque ſydere ſupra terram conſpicuo) emergens ab ortiuo cardine, & in cacodemona defluens, obiectu terræ tota fere obumbrata uidebitur; Itaque cynthia noctis honor in ſua altitudine ad nodum auſtrinum progrediens fructuum, frugum, ſatorum, ſeminumq; ſterilitatem, Annoneq; raritatem obnuntiare uidetur, plurima etiam ex terræmotu fundamenta corruent; Obnuntiat præterea ex diſſinteria, febribus peſtiferis, epydimia, pleureſi, atq; apoplexia, inclytæ Reginæ multarum, puellarum, ac iuuenum, magniq; principis, quin etiam pecudum, armentorumque internitiones, Ab calendis Nouembris M. D. XLVII. ad Idus Februa. M. D. XLVIII. Atrocius tamen conflictabuntur Mercuriales, Venerei, & Solares potiſſimum habentes horoſcopum, & luminare temporis, circa. xv. partem Tau. uel Scor. Degentesq; in regionibus quæ ijs ſubijciuntur Aſteriſmis; Alma tamen Venus deliquij hoſpitatrix hoſce cœlorum afflatus pernitioſos magna ex parte faciet elangueſcere.

Orbis terrarum pater optime, rector olympi
Humani generis ſeruator parce precamur,
Parce pio generi, & propius res aspice noſtras



		Ab occaſu		horoſcopo		
	D.	H.	M.	G.	M.	S.
		20	44	7	20	Piſ. Principium
Nouemb.Sat.	12	21	52	6	31	Ari.Medium
		23	0	7	8	Tau.Finis.
Dimidia duratio		1	8			
Tota duratio		2	16			
Eclyptica puncta		9	30			

Solis Deliquium.




u Ertẽte Anno chriſtianæ lyturgiæ M. D. XLVII. Die Saturni .xij. Nouemb. ab hora xxi. uno quadrante diducto, ad horam uſque xxiij. pulſatam, Sol per .ix. viij. vij. cœli ſtationes progrediens motu primi mobilis e ſuo lumine fulgentiſſimo pedetentim deficiens, ſub ultima Scorp. parte, magni cuiuſdam Regis, ac Reginæ interitum obnuntiat, Exercituum præterea inſolentias, & (uti ait Proclus lycius) Tyranni alienigenæ aduentum, ac ueri Regis fugam, exilium, negligentiam, & ignauiam; diuturnorumque bellorum moleſtias, ſeditiones ſanguinolentas, hominum ſtrages, furta, rapinas, depopulationes, incendia, manifeſtas contrarietates, & diſſidia inter mortales præcipue degeneres, atque primates, neque conſenſum, neq; concordiam ullam fore demonſtrat; Excitabit inſuper maximam aeris inclementiam, altas niues, uentos gelantes, frigora intenſiſſima, fluuiorum atq; torrentium repentinas inundationes, maximos pelagi fluxus, atque refluxus, unde plurimi ſulcantes æquora inſanis aquis obruti, animam exhalabunt. Huiuſcemodi præterea cælorum defluxus, rerum ferme omnium caritatem, defectumq; minatur; Aquatilium, maritimarumq; beluarum, & in æquore degentium excidia, atq; perniciem maximam præ cæteris ſortem experientur; Acerbam Solares, Venerei, & cum Mercurialibus Lunares, præcipue habentes in eorum genituris horoſcopum ſchematis natalicij, aut uoluminis, & luminare conditionarium ſub prima Tau. Leo. Scor. & Aqua. decamoria; degenteſq; in ciuitatibus, aut oppidis, quæ his ſubijciuntur aſteriſ-

16

mis. *Annis præterea* M. D. XLVIII. M. D. XLIX. *& luſtris bis quinque peractis.*


Seſquimilleno poſt partum Virginis anno.
Terribilis nimium, atque horrendo crine rubebit:
Regnorum euerſor tacita ſub nocte cometes,
Nec ſatis hæc: reſtant etiam iam plurima reſtant.
Quid poteris miſeris mortalibus afferre tutum,
Aere crudeli: populos aſſumere ferro
Sat gradiue ſatis: ſat erat te ſanguine multo
Vſque tuam compleſſe ſitim, rabidumque furorem:
Peſtiferum ne etiam ſpirantibus aera reddis:
Ne quicquam tantis uideatur abeſſe periclis
Omne genus morbi, febres, peſtesque malignę
In noſtrum excidium uenient uelut agmine facto.

Communis igitur genethliacorum ſchola uaticinaretur hoſce cœlorum malignos deſluxus exordiri circa ultimam medietatem anni M. D. XLVIII. *Debachari autem atrocius uertente anno* M. D. XLIX. *Vere nouo potiſſimum, quin etiam Aeſtate, &* Autumno; *Demum paulatim elangueſcere circa finem* Autumni M. D. L. *fluentis; Chaldæi uero, &* Arabes, *ſi uera edocuit* Hales Rodoan *libro .ij.* Apoteleſmatum. *Claudij* Ptolemæi *dijudicarent quatenus huiuſcemodi infortuniorum genera exordientur circa ultimam* Maij *hebdomadam* Anni M. D. LIIII. *Atrocius autem ſæuient labentibus annis humanati uerbi* M. D. LV. M. D. LVI. *Demum in calce* Nouembris M. D. LVII. *penitus euaneſcent.*



	Noc. ſeq.			horoſcopo.			
	D.	H.	M.	G.	M.	S.	
		2	10	13	56	Sag.	Initium
Apr. Solis.	22	4	2	8	47	Cap.	Medium.
		5	55	13	2	Aqua.	Finis.
Dimidia duratio		1	53				
Tota duratio		3	46				
Mora in tenebris.		1	33				
Eclyptica puncta		18	0				

Lunæ Deliquium.




Ertente anno humanati uerbi M.D.XLVIII. *die Solis.xxij.Ap.poſt Solis occaſum hora.ij. illicet pulſata,Luna nodo boreo platice alligata gradatim incipiet eclypſari: Sed poſtq̃.iiij.eſſluxerit hora,tũ in.xi.cœli ſtatione,tum in ſummo apice, toto ſuo fulgore deficiens,ſub.ij.Scor.decuria infinitis propemodum nobilibus, ac plebeis,fœminei præcipue ſexus excitabit disſinterias,tormina,bubones,uenenoſa hulcera,gallicam ſcabiem,febres æſtuoſas,urentes contagioſaſq; papulas,oculorum obtalmiam;*Regis *aut potius inclytæ mulieris interitum,prægnantibus,parturientibusq́; abortiuos,& ingens uitæ diſcrimen,inquit* Proclus Lycius,*portendit inſuper armentorum,atq; piſcium internitiones, oliuarum,fructuumq; putredines, annonæ raritatem, aeris intemperiem,comburentia fulgura,quinctiam rapidis agitata toni trua uentis,terræmotus horrificos,ædificiorum ruinas, cometarum apparitiones,torrentium,atq; fluuiorum exundationes,ex procelloſis turbinibus,repentinas nauium ſubmerſiones;Si quiſpiam habuerit horoſcopũ,& luminare temporis ſub.ij.*Tau.*uel* Sco.*decano;& anni regẽ male affectos timeat præ cæteris quũ ſupra enunciauimus perniciem,*Accolæ *præſertim ciuitatũ,aut oppdorum,ſeu regionũ,quæ ijs ſubiacent ſyderibus, exitioſus ille cœlorum defluxus ſuos continuabit euentus intra ultimam* Iunij *hebd.&* Cal.No.M.D.*xlviij.Menſe autem* Aug.*debacchabitur atrocius,*Q*uid ulterius conſcia fatorum ſydera polli ceantur:ſi quiſpiam ſcire uoluerit perlegat noſtras paraphraſes in* Ptole.*& prædic.*Procli *ſuper eclyp. utriuſq; luminaris. quas iam diu* Laurentius Miniatenſis *latinitate donauit.*



	Noc. ſeq.			horoſcopo.			
	D.	H.	M.	G.	M.	S:	
		1	20	27	0	Vir.	Initium
Febr. Vene.	20	3	7	17	8	Lib.	Medium.
		4	53	7	7	Scor.	Finis.
Dimidia duratio		1	46				
Tota duratio		3	32				
Mora in tenebris.		1	3				
Eclyptica puncta		14	12				

Lunæ Defectus.




Oluente ſalutigeri partus Anno M. D. LI.
u Die *Vene.xx.Febr.hora.i.poſt* Solis *occaſum trient adiecto,Luna incipiet paulatim eclypſari,adeo quidem quòd paulisper poſt horam.iij.fere pulſatam, ob telluris interiectam umbram, nullo prorſus fraterni luminis fulgore irradiata per. xi. cœli ſtationem progrediens ſub ij.*Erigones *decano intra ultimam* Martij *hebdomadam,& .v.* Idus Quintilis *eiuſdem* Anni M. D. LI. R*egalibus plerisq; conciliarijs detrimenta,triſtitias,mœrores,necnon imperialibus pleriſque ſcribis animi moleſtias,plurima infortuniorum genera,& mortem denique inferet,ex* Procli Lycij *obſeruationibus,*


Hermes *præterea deliquij hoſpitator in.vi.cœli ſtatione,&* Sol *ad nodum* Auſtrinum *progrediens inclinabunt plurimos mortales ad latrocinia,rapinas, depopulationes,fœnora,prauas hæreſes,& irreligionem, excitabunt quoque febres quotidianas,& acutas,epydimiam,morbos peſtilentes,tuſſes,disſinterias,tormina,pasſiones cholicas,gonorream obtalmias,uomitum ptiſim, pleureſes, podaricosq; cruciatus;* In *uegetabilibus & aquatilibus putredinem,& eis ueſcentibus perniciem,rei frumentariæ,ſeu annone caritatem, inopiam, & ex conſequenti famem.* Stilbon *denique occiduus coaceruabit,uarios,& quidem crebros in æthere,ſpiritus nimboſos, & cum* Saturno *repentinos turbines,naufragia,terræmotum,aut uaſtos telluris hiatus,quibus plurima corruent fundamenta;*In *fluuijs,ac torren*

tibus aquarum diminutiones, ſed interdum momentaneas quodammodo illuuiones. Hoſce etiam pernitioſos cœlicos afflatus exagerabit, Mars Solem tetragona radiatione infectans in themate ingreſſus Solis in Arie, eodem Anno M. D. LI. uertente.

Mars etiam in quarta cœli ſtatione locatus
Fundamenta ruens, incendia maxima, ſæuas
Multorum ſtrages, ciuilia bella, rapinas
Portendit miſeris animantibus, an ſatis hæc ſunt?
Non ſatis hæc, reſtant etiam iam plurima, namque
Falcifer ille ferox, peſtemque, famemque nefandam
Nuntiat, ut non ſit tunc hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer a genero, nec tutus in urbe uiator
Nequitia inſurget, uirtus calcata iacebit,
Rex ferus armipotens confoſſus uulnere acerbo,
Læthali, aut morbo, uel nigri tabe ueneni,
Ad ſtygias merito deſcendet perfidus, undas,
Sed tamen immerito proceres plerique miſelli,
Aut laqueo uitam claudent, uel principis ira
Accipient iugulo, gladium, aut ceruice ſecurim,
Hos tamen afflatus cœli Venus alma malignos
Placabit, ſummiq́ue Iouis clementia læto
Vultu, quo cœlum tempeſtatesq́ue ſerenat.



		Eod. Die.		horoſcopo		
	D.	H.	M.	G.	M.	S.
		19	0	14	30	Sag. Principium
Aug. Lunæ	31	19	55	26	25	Sag. Medium
		20	51	9	40	Cap. Finis.
						Solis labor.
Dimidia duratio		0	56			
Tota duratio		1	52			
Eclyptica puncta		8	0			



Abente anno gratiæ ſalutaris M. D. L I. die
1 Lunæ. xxxi. Augu. hora. xix. ſtatim pulſata
Sol obtutu corporis lunaris gradatim ſuo lumine fulgentisſimo incipiens obumbrari circiter. viij. ſui orbis portionem in. ix. cœli templo ſub. xvij. parte Virginis intra potentiores, & plebeculam iras, disſidia, lites, controuerſias, odia, ſimultates, rixas, atque cruentas hominum ſtrages excitabit. Quandoquidem

Ira parit, rixas; rixæ uertuntur in enſem;
Enſis dat uulnus, uulnera ſæpe necem.

Obnuntiat præterea inclytæ ingenioſæ mulieris obitum, tragicum calamitoſumque Regis, aut magni Ducis exitum, plurimis ex plebecula fœminei potisſimum ſexus internitionem, paratam peregrinantibus necem; Animantibus quoque aquatilibus, præcipue fluuiorum, uegetabilibus putredinem, frugum, atque rei frumentariæ raritatem, & ex conſequenti famem, atque epydimiam. Quin etiam

Portendit miſeris mortalibus omina mortis
Bella, hominum cædes, incendia, furta, rapinas,
Ardentes papulas, fluxus, contagia peſtis,
Qua (niſi decipimur) totus torquebitur orbis,
Quin terræ motum, magno cum turbine uentos,
Fulguraque, & uarijs tremebunda tonitrua terris,
Prouentusque frugum ſteriles (miſerabile dictu)

Horrendamque ſamem, & tandem genus omne malorum,
Quæ procul expellat ſummi regnatur olympi.

Iſti cœlorum defluxus maligni, atque pernitioſi ſuos parturient euentus Vere nouo, *Aeſtate, &* Autumno *Anni* M. D. L II. *Iuxta uero* Arabum *dogmata labentibus annis humanatæ diuinitatis* M. D. LVII. M. D. LVIII. *Verum enimuero ſtilbon huius deliquij æcodespotes in ſuo domicilio, & altitudine cum nodo urſino partiliter alligatus, Iuppiter in ſuo* Trono, *Alma* Venus *anguli ſequentis regina in culmine cælorum ab Ioue feliciter irradiata nutu Saluatoris hoſce exitioſos cœlorum defluxus magna ex parte profligabunt; Vnum tamen minime reticebimus, quatenus anteꝙ̃ totus effluat annus* M. D. LVIII. *apparebit magnus quidam pſeudopropheta,*
Hæreſiarcha nouus (ni me cœleſtia fallunt)
Aut rurſum Eous *ueniet ferus ille* Tyrannus,
Qui legem Chriſti ſanctam ſubuertere nixus,
Succumbet tandem, mox eius ſigna ſequetur,
Pontificisꝙ́ ſacri, Paulo duce, & auſpice Marco,
Atque Dei nutu, magno tunc Cæſare maior
Vexillum Chriſti geſtans, Rex inclytus armis,
Chriſticolæ gentis Cæſar dominabitur orbi,
Et genus omne mali tollet, tandem inclyta uirtus
Paulatim incipiet uires aſſumere lentas,
Atque reuiuiſcent ſanctorum ſæcula patrum.

F I N I S.




Illuſtris. D. Venetis Anni infelices.


1542 1549 1583 – 1585 1603 1607
1625 1646 1691 1699 1670 18 . 1

Virginei partus ſeclis bis octo peractis,
E pelago emergens tellus fœcunda colonis,
Præbebit miſeris alimenta e frugibus altis,
Nec piſces Nautæ capient in littore ſicco,
Sed uarios pueri flores, & grammina pingues
Læta boues, haſta non remis pulchra iuuentus
Certatim ludent, mœſto ſpectante Senectu.

Reſtauratio Ciuitatis Bononiæ per Theodo-ſium Imperatorem.



Natalis Florentiæ per Carolum Magnum.



Iacobi Galbani carmen.

Cur tua? cur tantum iactas oracula quæſo,
Priſca ætas? palmam ſola tenere putas?
Gauricus hic adſit, fient oracula muta,
Cedet Apollo tuus, nulla Sybilla canet.

Iacobus Præfectus Poeta Siculus, ad Lectores.

Quadriiugos Phœbi currus caligine preſſos,
Et bigas phebes Gauricus ille canit.
Conſcia quin etiam ſcrutatur ſydera fati,
Tanquam Athlas ſummi noſcit, & Aſtra poli.
Ore'que fatidico prædicit cuncta futura,
Gauricus Vranides, phœbus ut æthereus.

CLAVDII PTOLEMAEI ALEXANdrini Apoteleſmatum lib. ij. Capite. vij.

De tempore euentuum.

PRimum in unaquaque regione, cuius ſitus ratione comprehenſus eſt, Ad horam deliquij, Altitudo poli, & cardines tanquam in hominis genitura exprimentur, Deinde exquiratur, quot horarum equinoctialium (in unaquaque regione ratione comprehenſa) duratio ſit obſcurationis, his enim conſtitutis, quotquot horas equinoctiales inuenerimus, tot in Solari quidem deliquio annos. In Lunari uero Menſes, duraturos effectus pronuntiabimus. Cæterum exordia ipſa, & uehementiores progreſsiones cognoſcentur ex loci defectui habitu erga cardines. Nam quum locus ille inciderit in orientalem finitorem ſignificat euentuum exordia circa primos. iiij. menſes ſtatim ſequentes deliquij tempus futura eſſe. Vehementiores autem progreſſus in primo triente totius durationis affectionalis. Sed ſi inciderit idem locus in medio cœli, exordia erunt proxime ſequentium. iiij. menſium, & trientis medij totius durationis. In occidentali autem cardine ſignificantur exordia ultimorum. iiij. Menſium, & ultimi trientis, totius durationis futura eſſe.

Ptolomæus Centiloquij enunciato XXIIII.

Effectus luminarium in cardinibus genitura-rum, annuarumue conuerſionum noxius eſt. Ac

cipiunt autem tempus ab interuallo aſcendentis, ac loci defe-ctus, Vt autem ab hora Solaris eclyps annos, ſic ab eclypſis Lunaris horis, menſes capis

L. Gauricus.

P Tolemæus ab interuallo aſcendentis, ac loci defectus docuit, Inuenire tempus in quo luminarium eclypſes incipiunt ſuos producere effectus. Item quanta temporis intercapedine perdurare, & prolongari poſſunt effectus deliquiorum. Si enim deliquij locus accideret, In ſuperioris hemispherij finitore orientali, ſiue ortiua cœli quarta, quæ ab horoſcopo in.x. domū terminatur futuri accidentis initium exordietur. In primis.vi. menſibus poſt eclypſis illius horam. In occidua autem cœli parte etiam ſupraterranea, quæ intra.ix. & .vij. domum comprehenditur. In alijs.vi. menſibus ultimis deliquium illud incipiet ſuos producere effectus. Inquit præterea Claudius ille Ptolemæus, Obſeruent Genethliaci quot horis equinoctialibus in ſua regione Solaris deliquij tenebræ extendantur, quoniam eius decreta, ſiue apoteleſmata totidem annos durabunt, quot ille horæ equinoctiales fuerint, Lunæ uero totidem Menſes, nihilo tamen ſeccius in temporis illius meditullio effectus erunt longe deteriores. Si gratia exempli Solis labor, aut Lunæ defectus accideret partiliter in cacodemone, utpote.xij. domo diſtas a gradu horoſcopi.xxx. gradibus, deliquij illius apoteleſmata ſumerent initium poſtq̄

ij.menſes effluxerint. In.xi.autem poſt.iiij.in culmine cælorum.xc.gradibus diſtans ab horoſcopo poſt.vi. menſes. Ita quòd ſi celebraretur in cardine occiduo partiliter, poſtquam xij.menſes præterierint, incipiet ſuos producere euentus, uti ex ſequentibus elicitur tabellis.

Partiliter in domo.	Diſtantia ab horoſcopo.	Deliquii Sol. Lunæ effectus incipiet. Mē.	D.	Ho.
12	1	2	0	21
11	2	4	1	18
10	3	6	2	15
9	4	8	3	12
8	5	10	4	9
7	6	12	5	6

Locus deliquii domo.	Diſtan. ab horo. S.	G.	Effectus exordientur M.	D.	H.
	0	15	1	0	0
12	1	0	2	0	21
	1	15	3	0	0
11	2	0	4	1	18
	2	15	5	0	0
10	3	0	6	2	15
	3	15	7	0	0
9	4	0	8	3	12
	4	15	9	0	0
8	5	0	10	4	3
	5	15	11	0	0
7	6	0	12	5	6

Lunæ diſtantia ab horoſcopo. Gra.	Lunæ effectus exordietur. Menſes.
15	1
30	2
45	3
60	4
75	5
90	6
105	7
120	8
135	9
150	10
165	11
180	12

Diſt. Sol. ab horoſ. Gra.	Sol. deliquii effectus exordietur. D.	H.	M.
1	24	8	24
2	48	16	48
3	73	1	12
4	97	9	36
5	121	18	0
6	146	2	24
7	170	10	48
8	194	19	14
9	219	3	36
10	243	12	0
11	267	20	24
12	292	4	48
13	316	13	12
14	340	21	36
15	365	6	0

Deliquii Lunæ diſt. ab hor.		Deliquii Lu. eſ. incipient.	
Gra.	D.	H.	M.
1	2	0	42
2	4	1	24
3	6	2	6
4	8	2	46
5	10	3	28
6	12	4	10
7	14	4	52
8	16	5	34
9	18	6	16
10	20	6	58
11	22	7	40
12	24	8	22
13	26	9	4
14	28	9	46
15	30	10	30
30	60	21	0
45	91	7	30
60	121	18	0
75	152	4	30
80	162	7	58
90	182	15	0
100	202	21	58
105	213	1	30
110	223	4	58
120	243	12	0
135	273	12	30
150	304	9	0
165	334	19	30
180	365	6	0

Iuxta Neotericorum obſeruationes.

Ego reor Pōtanum noſtrum uirum alioqui elegātiſſimum non intellexiſſe quid ſibi uelint hæc uerba, quæ ſuper Ptolemæi enunciato. xxiiij. ita ſcripſit, Quando cœli ſpatium quod erat a gradu Lunæ ad aſcendentis gradum eſt graduum octoginta, quæ portio eſt totius hemiſpherij prope media. Item hæc. Sin Sol eodem in loco defecerit erit poſt annum, & menſes vi. grauius malum pro natalis anguli qualitate. Quod quidem pernitioſius erit ſi in ipſo angulari gradu defectus ſit, ſin pluribus ab eo gradibus abierit, mali uis euaneſcet penitus.

Ptolomæus Aphoriſmo.xxiiij.
Georgio Trapezuntio interprete.

Eclypſis luminarium in angulis,uel natiuitatum,uel annuarum reuolutionem nociua eſt. Accipiunt autem tempus ex diſtantia,quæ eſt inter gradum aſcendentem,& locum eclypſis,& ſicut ex horis ſolaris eclypſis annos accipis,ſic ex horis eclypſis lunaris menſes accipias.

Nocet,inquit Ptolomæus,eclypſis quæ fit in ipſis angulis natiuitatum,uel in angulis reuolutionum nati: quæ reuolutiones fiunt quando Sol ad illud minutum reuolutionis eſt, in quo ſuit tempore natiuitatis. Accipiunt autem tempus. Breuiter nimium,& obſcure dixit:quia tunc planum erat.Ita enim factitatum fuiſſe apud omnes pene Aſtrologos oſtendit,quum dixit, Accipiunt autem, Ad tertiam enim retulit perſonam, id tamen ſic in marginibus librorum græce uidi expoſitum, Numerus horarum eclypſis annorum numerum in eclypſi ſolari ſignificat, Menſium in lunari,non integrum tamen,ſed diminutum hoc modo,uide quot gradus ſunt inter aſcendentem gradum,& locum eclypſis, & quota pars ipſi ſint de.clxxx. Tantam partem numeri menſium,uel annorum ab ipſo auferas,& reliquum erit tempus in quo ualde diſponetur homo ſecundum ſignificationem anguli ipſius cœli in quo facta eſt eclypſis, uerbi gratia, ſint.lxxx.gradus inter aſcendens,& locum eclypſis, Ad hunc numerum.clxxx.qui ſunt gradus hemiſpherij ſuperioris, uel

inferioris ubi uidelicet eclypſis fit proportionem habet duplam ſeſquiquartam. Item ſi eclypſis fuerit duarum horarum erit nocumentum in rebus ab angulo ſignificatis in lunari quidam eclypſi duorum menſium, & Annorum *totidē in Solari*, V*nde patet non fuiſſe ſolitos ipſos quidquam diminuere quando in aſcendente aut in occidente fiebat eclypſis* A*ccidit autem nocumentum ex defectu luminaris ſi in ipſa cuſpide fit aut non longius* ꝙ *gradibus iii.* N*am ſi magis abeſt diminuetur* A*nno illo uis nocendi aut euaneſcet hæc ille.*

Gra.	Menſes	Dies.
80	5	10
90	6	0
180	12	0

V*erum haly heben* R*odoan* P*tolomei comentator libro ſecundo apoteleſmatum capite.vij. longe aliter ſentire uidetur dum ita ſcripſit* A*ccidens ecclypſis* ☉ *non poteſt prolongari ultra.xij.* A*nnos & accidens eclypſis* ☽ *ultra.xij.* M*enſes ſi .n. ſolis labor accideret partiliter in culmine cælorum inciperet ſuos producere effectus poſt .vi. annos ab hora illius deliquij.*L*une autem poſt. vi. menſes ſin in. vij. domo, poſtꝙ. xij.* A*nni effluxerint in deliquio* S*ol. in defectu autē* ☽ *poſt. xij. menſes.* S*ed ne quiſpiam me figmēta comperiſſe forſitan ſibi perſuadeat illius uerba hic*

Juxta Arabum & haly Rodoan obſeruationes.

Ab horoſcopo diſtantia Luminum | effectus lumiuum exordientur

Gra.	Anni ☉ Menſes ☽	Gra.	Dies
15	1	1	2
30	2	2	4
45	3	3	6
60	4	4	8
75	5	5	10
90	6	6	22
105	7	7	14
120	8	8	16
135	9	9	18
150	10	10	20
165	11	11	22
180	12	12	24
		13	26
		14	28
		15	30

annotabimus. Vult dicere Ptol. inquit Rodean ꝙ quando ſciue remus aſcendens principii et aſcendens finis ſciemus quot horis æqualibus durabit obſcuritas eclypſis, hora æqualis eſt. xv. gra duum, & hora temporalis eſt. xij. pars diei uel noctis et per horas temporales ſiue poterimus quando incipient effectus, quia accidens eclypſis Solis non poteſt prolongari ultra. xij. an nos et accidẽs eclypſis Lunæ ultra. xij. mẽſes hæc ille ad literã. Hora tẽporalis equiualet. xv. gradibus Zodiaci, æqualis uero xv. gradibus equatoris. Quam rem Marcus Manilius innuere uidetur, dum ita cecinit.

Non te uulgatæ rationis præteriit ordo,
Quæ binas tribuit ſignis ſurgentibus horas,
Et paribus ſpacijs æqualia digerit Aſtra.

Nunquid Haly Rodoan celeberrimi Aſtronomi ſit uerior opinio, quam neotericorum alijs diſcutiendum relinquimus. Multorum tamen neotericorum ſententia uidetur eſſe hæc, quod Solis labor, ne dum eclypſis Lunæ in quacunque cœli ſtatione ſuperioris hemiſpherij celebraretur eodem præciſe anno in quo fit, ſuos producit effectus, Quam opinionem corroborant, ſiqui dem Suetonio tranquillo authore, Labente anno Saluatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti. xvij. die. xv. Februarij hora fere me ridiana fuit maxima, & nimis horrenda eclypſis Sol. xij. pun ctorum, unde fulgentisſimum illud ſolare corpus totum fuit obſcuratum, Sole ſub, xxvi, gradu Aquarij domum regiam poſ ſidente, Qui iuxta Chaldeorum, & omnium genethliacorum obſeruationes ſummi Regis, aut Imperatoris mortem denuncia

bat. Et quom Sol. perueniſſet ad oppoſitum loci eclypſati gradum ut pote. xxvi. gradũ eodem præciſe die expirauit Octauianus Auguſtus uidelicet. xiiij. calẽ. Septembres qui eſt. xix. dies Auguſti erat quippe illa eclypſis adeo horrenda ut de illa merito dici poſſet, quod Virgilius poetice magiſ ꝙ hiſtorice ſcribens de eclypſi Solis quam in morte Iulij Ceſaris accidiſſe commemorat dum circa finem. Primi georgicorum ita eleganter cecinit.

Sol tibi ſigna dabit Solem quis dicere falſum
Audeat ille etiam cecos inſtare tumultus
Sæpe monet fraudemq; & operta tumeſcere bella
Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam
Cum caput obſcura nitidum ferugine texit
Impiaq; eternam timuerunt ſecula noctem.

Si haly rodoan opinio eſſet uerior ſolaris ille labor non infra anni unius intercapedinem ſed poſt annum. vi. ab hora deliquii ſuos produxiſſet effectus.

Futurorum accidentium tempus ita colligitur.

Quanta temporis intercapedine perdurent effectus deliquiorum utriuſq; luminaris nulla uidetur eſſe controuerſia inter omnes genethliacos Ptolemei ueſtigia ſectantes, qui enunciato xxiiij. ita ſcripſit. Vt autem ab hora ſolaris eclypſis annos ſic ab eclypſi Lu. horis Mẽſes capis. Si gratia exẽpli ab initio ad finem uſq; deliquij lunaris interlabantur hore. iii. tunc ſpacio

iii. Menſium ſiue. xc. dierum omne tempus foret noxium atq; periculoſum nato illi cuius fuerit genitura pernitioſius autem malum ei accideret in tempeſtatis Illius meditullio in fine ſcilicet menſis unius integri et alterius dimidiati, in Solis autē deliquio totidem annorum grauius tamen diſcrimen imminebit nato poſt annum unum elapſum & . vi. menſes ſingulæ ſiquidē horæ ſolaris deliquij ſingulos annos indicant lunaris uero ſingulos menſes ex.

Tempus durabunt effectus.

Deliquior		Lun.	Sol.	
H.	M.	D.	H.	Dies.
0	1	0	12	6
	2	1	0	12
	3	1	12	18
	4	2	0	23
0	5	2	12	Menſes 1
	10	5	0	2
	15	7	12	3
	20	10	0	4
	25	12	12	5
	30	15	0	6
	35	17	12	7
	40	20	0	8
	45	22	12	9
	50	25	0	10
0	55	27	12	11
1	0	30	0	12

		Luna		Sol.	
H.	M.	D.	H.	Anni	Mē.
1	5	32	12	1	1
	10	35	0	1	2
	15	37	12	1	3
	20	40	0	1	4
	25	42	12	1	5
	30	45	0	1	6
	35	47	12	1	7
	40	50	0	1	8
	45	52	12	1	9
	50	55	0	1	10
1	55	57	12	1	11
2	0	60	0	2	0
	5	62	12	2	1
	10	65	0	2	2
	15	67	12	2	3
	20	70	0	2	4
	25	72	12	2	5
	30	75	0	2	6
	35	77	12	2	7
	40	80	0	2	8
	45	82	12	2	9
	50	85	0	2	10
2	55	87	12	2	11
3	0	90	0	3	0
	5	92	12	3	1
	10	95	0	3	2
	15	97	12	3	3
	20	100	0	3	4
	25	102	12	3	5
	30	105	0	3	6
	35	107	12	3	7
	40	110	0	3	8
	45	112	12	3	9
	50	115	0	3	10
3	55	117	12	3	11
4	0	120	0	4	0

Deliquiorum Durabunt effectus

[redacted] interprete.

IN genere autem uniuerſalibus in malis potiſſimum corripiuntur, ij in quorum geniturIs præcipua loca, nempe luminum, aut cardinum eadem fuerint, cum illis a quibus uniuerſalium caſuum cauſæ ueniunt, ideſt, eclypticis ipſis, aut his oppoſitis. Sed in primis periculoſe, ac ineuitabiles ſunt partiles occupationes, dimetientesq; deliquiorum utrius uis ille luminum reſpectum habuerint.

LV. GA.

Generaliter, inquit Ptolo. a malis uniuerſalibus potiſſimum corripiuntur illi in quorum genituris loca præcipua, ſeu principalia, uidelicet, luminarium, aut cardinum partiliter fuerint eadem, hoc eſt in eodem gradu cum locis eclypſium, aut eis diametraliter oppoſitis. Sed in primis periculoſe, & quodammodo ineuitabiles erunt eclypſes, cum ipſæ, Acciderint in eadem parte, ſiue gradu alterutrius luminaris in hominum genituris, & poſtmodum cum erunt eis oppoſitæ, præſertim ſi maleficæ ſtellæ illos gradus hoſtilibus radijs percuſſerint.

In translatione Arabica.

Accidentia generalia frequentius accidunt hominibus in quorum natiuitatibus loca neceſſaria.i.loca in quibus ſunt luminaria, aut loca angulorum ipſamet loca eclypſium, uel loca eis oppoſita, Hoc autem tunc erit grauius, & ad præcauendum difficilimum, quem ipſe eædem partes locorum eclypſium fuerint

partes, ſeu gradus locorum unius luminaris in natiuitatibus, & poſt hoc cum hæ partes erunt eis oppoſitæ.

LV. GAV. *Annotationes.*

Solis labor, Lunæq; defectus ſemper quodammodo aliquid mali enunciant, quippe qui ſi acciderint in gradu horoſcopi, aut luminaris præcipue conditionari, ſiue locis apheticis partiliter, aut non longius, quàm .iij. gradibus ita genitis mortem, aut morbum ueternum, periculoſamq; ægritudinem denuntiarent, præcipue ſi luminaria ipſa ab hoſtilibus maleficarum ſtellarum radijs percuſſa fuerint, ſin pluribus quàm .iij. gradibus abierint ab ortiuo cardine, & locis luminarium huiuſcemodi cælorum maligni afflatus euaneſcent prorſus, aut ſi quidpiam fortaſſe mali decernerent, metus accidet nato, uel aliquid detrimenti, potiusq; uitæ diſcrimina. Aphetas græco uocabulo genethliaci annorum diſtributores appellant, unde uitalem auſpicamur decurſum, Ab apheticis ſiquidem locis compertum habent cæleſti quodam afflatu mortalibus decurſum in uita elargiri, eſſe autem aphetas Ptolomæi obſeruatio arbitratur Solem Lunam horoſcopum. & prædominantes in dictis locis erraticas ſtellas. Loca eclypſium, aut oppoſita, nodusq; meridianus, ſi acciderint in horoſcopo natalitij thematis, aut locis luminarium præcipue conditionarij, utpote in loco Solis per diem, lunæ uero per noctem, Natus ille cuius fuerit genitura in maximis uerſabitur uitæ periclis, quæ magna cum difficultate cuitari poterunt, Imo e uita diſcedet ſi anni illius rex, & horoſcopi dominus, & diuiſor in utroque themete natalis, ſcilicet,

& annui uoluminis fuerint male affectis ſin bene, nutu dei. Et prudentia duce euadet eſt etenim rerum fato prudentia maior.

Peruitioſior autem eſt ea eclypſis quæ accidet in horoſcopo geniturarumq́ quæ in ortiuo annuarum cõuerſionum cardine portenditur enim nato illi malum aliquod exitioſum in corpore eius uitaliq; ſubſtantia. Si uero alterutrius luminaris deliquium cõtingeret in celorum apice natalicio aut uoluminis annui obnuntiantur damna in magiſterio nati ſuiq; honoris detrimentum ſiue aliquid mali odio potentiorum aut quæ a regibus ſeu principibus inferuntur. Si defectus luminarium acciderit in ſecundo natalicii ſchematis aut annuæ conuerſionis hoſpicio, fortunarum iacturas & nulla lucrorum copioſa præſidia. In. iij. ab horoſcopo ſtatione inferet nato pericula in paruis itineribus & aliquid ſiniſtri alicui ex fratribus aut ſororibus infortunia uel ægritudinem non ſpernendam. in imo celi cardine ſubteraneo patrimonij ſiue rerum ſtabilium detrimenta te patri(ſi ſit) uitæ diſcrimina. In.v. alicui ex liberis aliquod infortunium uel egrotationem. In.vi. nato ita aliquam obnuntiat corporis diſcraſiam aut cholicam paſſionem uentriſq; dolores acerbos, & in quadrupedibus paruis iacturam alicui etiam ex ſeruis uel ancillis aut patruo aduerſabitur. In.vij. uxoris ſi ſit aut concubinæ & hoſtis publici mortem aut grande aliquod diſcrimẽ hoc etiã pacto ſi defectus luminariũ celebraretur in reliquis celorũ domiciliis qui uis de medio genethliacus uaticinari poterit.

Pto. enunciato. xcvi. Georgio trapezuntio interprete.

Effectus

*Effectus eclypſium propinqui ſignificant Angu-
li, ſed ſtellarum etiam tam planetarum ꝙ
fixarum quæ ſimul ſunt naturam conſidera,
coorientia etiam non prætermittere & ex ijs omnibus iudica.*

Coorientia inquit hoc eſt formas figuras & imagines quæ cum ſingulis faciebus oriuntur conſidera has formas Paranatellonta hoc eſt coorientia greci appellant quoniam in aſcendente tantummodo conſiderantur.

Pontano interprete.

Significantia eclypſis decreta ſunt eius quæ propius cardines conſidera etiam naturas ſtellarum ſimul conſiſtentium, tum erraticarum tum fixarum et ſecundum hoc pronunciato. Eclypſis decreta illa quidem ſignificantia .i. admodum potentia eſſe inquit. Quæ propius cardines ſunt uidelicet quæ ſignificantur portenduntur ꝗ a defectu qui fit in gradibus Angulis celi proximis aut in loco cardinibus finitimo ea fore maioris efficaciæ. Reſtat etiam conſiderare ſimulacra quæ cum horoſcopi decuria exurgunt.

De Genere euentuum.

Signa	Solſticialia	Fixa	Communia	Humana
Equinotialia	Tropica	Stabilia	Bicorporea.	
Mobilia	Mobilia			
Ari. Veris	Canc. Eſtatis	Tau. Scor.	Gemi. Sagit.	Gem. Vir.
Lib. Autumni	Cap. Hiemis	Leo Aqua	Virg. Piſcis.	

Si luminarium deliquia celebrabuntur.

Inſignis quibus forma humana tribuitur euentus humanum genus inuaſuros denuntiant.

Ari. *Aeris alterationem, in fructibus pululantibus uitibus, & ficulneis arboribus corruptionem excitabunt.*

Lib. *In ſeminibus, & herbis putredinem, & inter eccleſiaſticos ſciſmata.*

Canc. *In fructibus quando colliguntur, & conſeruantur putredo accidet, & ueſcentibus ægrotationes.*

Capr. *Olera deuaſtabuntur a locuſtis, ſeu uermibus, eruntq; nauium ſubmerſiones, & morum mutationes, peculiariter in regionibus, quæ ijs ſubiacent ſyderibus.*

Gemi. & Sag. *Volatilibus interitum minantur, ijs potiſſimum quibus ueſcutur homines, unde plurimi interitū ſentiet.*

Virg. & Piſ. *In uegetabilibus, & aquaticis animalibus, præcipue fontiū, ac fluuiorum corruptionē & excidiū obnūciat.*

Tau. Scor. Leo. & Aqua. *Fundamentorum ruinas, & inter eccleſiaſticos odia ſimultates, & turbas irritabunt.*

Planetæ occidentales, uel ſub radijs, aut retrogradi minuunt futura. Orientales, uel ſtationarij augent.

Vel matutini erga Solem, Veſpertini erga Lunam deliquia augent. Veſpertini erga Solis deliquia, Matutini erga Lunam minora omnia reddunt. In oppoſitionibus autem dimidium demunt.

Luminarium defectus.

In domo	
12 11	*Multa corruent ædificia, fructus deſtruentur, Iuuenes, & adoleſcentes pleriq; interitū deuaſtabunt.*

10	9	Regibus, principibus, & eccleſiaſticis in uirili præſertim ætate conſtitutis mortem obnunciant.
8	7	Legum, inſtitutionum, ſectarumque mutationes, & ſenectæ caſus, ſeu mors ſenioribus.

Dominatio ſtellarum erraticarum, ita colligitur.

Quæcunque enim pluribus modis utrique loco, ideſt, ipſius deliquij, & hoc ſequentis cardinis adiungi cernetur, ea ſola dominationem obtinebit. In hoc autem conſiderantur proximæ & apparentes acceſſus, & defluxiones, & ratione comprehenſæ figurationes, itemque domiciliorum triangulorumque poteſtas, una cum altitudine, & terminis. Sin una, eademque ſtella dominium utriuſque loci, ideſt, defectui, & cardinalis ſortita non fuerit, præferetur quidem defectui loci dominus. Sed aſſumetur etiam ille, qui præ cæteris utrique loco pluribus modis de præſcriptis adiungi uidebitur. Sed multis dominationem ſibi uendicantibus propter æqualitatem reſpectus ad utrunque locum præponetur reliquis, uel cardinalior, uel potentior, uel qui magis conditionis, ſectæque fuerit. Stellarum autem inerrantium aſſumetur ea, quæ loco defectiuo quaſi aſſederit in prætereunte cardine primum ſplendore, deinde uel cum cardine orientis, uel M.C. ſequente locum defectiuum reperta.

Diſpoſitores deliquiorum.

Vemadmodum ex uerbis Ptolemei colligitur q ille planeta qui in gradu deliquij & Anguli ſequentis eclypſim (habita ratione domicilio rum altitudinis triangularitatis finium atq; decanorum) ſortitus fuerit plures prærogatiuas ſiue dignitates, eligatur diſpoſitionis dominus hoc eſt uincens dominator ac moderator quem arabes almutez Greci uero metaphorice Atla uocitabant planetam plures habentem poteſtates in .v. locis ſupradictis. Atla enim interpretantur noſtrates eſſe præmium quod dabatur uictoribus in certamine hanc ſententiam innuere uidetur Manilius Senator Romanus & poeta clariſſimus dum ita ſatis eleganter cecinit.

Atla uocant Graij, quæ cuncta negocia rerum
In genera & partes bis ſex diuiſa cohercent.

Sin duo plancte ſortiti fuerint æquale dominium utriuſq; loci uidelicet deliquij & cardinis ſequentis præferatur quidem defectus loci dominus. Multis uero planetis dominatum ſibi uendicantibus præponatur reliquis cardinalior uel potentior in themate aut qui maioris ſectæ fuerit hoc eſt in ſuo haiz hoc eſt in ſua ſimilitudine utpote planeta diurnus per diem ſupra terram & maſculinus in ſigno maſculino aut nocturnus per noctem ſub terra et femininus in ſigno femineo. Vt autem intelligatur quis nam ſit Angulus ſequens eclypſim, quiſue præcedens hic obiter enucleabimus. Quandocunq; luminarium defectus quiſpiam celebraretur intra. x. cæli ſtationem & horoſcopum, Claudius Ptolomeus libro. ij. Apotelaſmatum capite. vij. iubet

quatenus genethliaci inſpiciant quis planetarum plures ſibi arroget prærogatiuas in loco illius deliquij et gradu horoſcopi, quem Ptolo. & Greci Angulum ſequentem Arabes uero præcedentem appellabant. Si uero alterutrius luminaris deliquium accideret inter .vij. & .x. domos aduertant inquit, quis errantium habuerit plures dignitates in gradu illius deliquij & .x. domo quam Arabes Angulum præcedentem Greci ſequentem uocitabant. Sed quoniam ex tranſlatione Greca et Arabica in uerbis dumtaxat uidetur eſſe non nihil contradictionis itcirco hic eam enucleabimus.



Græci horoſcopum, & decimam domum uocabant angulos ſequentes motu, ſcilicet, primi mobilis, qui eſt ab ortu in occaſum contra ſignorum ſequelam quippe qui poſt Arietem ſequitur Taurus, poſt Taurum Gemini, poſt Gem. Cancer. Arabes autem illos duos cardines appellabant præcedentes. Motu octauæ ſphæræ, & planetarum, qui eſt ab occaſu in ortum, quandoquidem in ſignorum conſequentia, Tau. præcedit Ari. Gemini, Tau. & Canc. geminos. Et ita omnium iudicio inter Græcos, & Latinos, qui Arabicam tranſlationem ſectantur (ammota omni equiuocatione) nihil prorſus eſt diſcriminis. Quod Ioannes ille Picus Mirandulanus alioqui uir facundiſſimus, perperam irridens omnes genethliacos ſui temporis maximum profecto, & neutiquam tolerabile arbitrabatur, inquiens, quonā pacto genethliaci uera prædicere poſſunt: Quum in tranſlatione Arabica habeatur Anguli præcedentis, & Ptolomæus Græce ſcripſerit ſequentis? Dicant mihi obſecro, qui Picum tueri uolunt, nunquid diuerſa ſit ſententia ſi illum met locum, quem Ptolo. ſequentem Arabes iure optimo præcedentem deliquij cardinem uocitare conſueuerunt. Ad propoſitum itaq; negotium accedentes dicamus, quid portendant deliquiorum moderatores.

Quinque erraticarum ſtellarum Apoteleſmata.

Voniam Sol, & Luna, ut principes omnium, imperium, & ditionem penes ſe habent, Auctores effectuum, & dominationis illis committentes, illarumque aut uires augent, aut minuunt. Idcirco errantium duntaxat ſtellarum proprietates explicabimus.

Saturnus ubi ſolus deliquij diſpoſitor, almutez, atla, & moderator dominatum fuerit ſortitus, in ſignis præcipue aereis, aut aqueis excitare conſueuit horrendum frigus, niuoſum, glaciosum, grandinoſum, nebuloſum, & peſtilens. Item nubes denſas, caligines, nimbos proccelloſos, tempeſtates aduerſas, gelantes, ac facientes frigora, uentos, torrentium, ac fluuiorum inundationes, uorticoſos pelagi fluxus, ac reſluxus, difficiles, atque periculoſas nauigationes, naufragia, & plerunque terremotum, Piſcibus corruptionem, raritatem, & interitum infert, & brutis mortifera mala. In frugibus, herbis, & oleribus ad hoimnum præcipue uſum neceſſarijs calamitates & penuriam propter uermes erucas & locuſtas quæ eo uſq; procedent ut fame ſimiliq; pernitie neſcentes extinguant. In ſignis autem humanis peculiriater excitat egrotationes chronicas tabem ſcabiem marcores humores moleſtos tuſſes ptiſim ſtupores gonorream morbos ueternos fluxum febres quartanas epydimiam exilia carceres terrores luctuoſos & deniq; plurimis ætate potiſſimum pronectioribus mortem aut periculoſam egrotationem.

Iuppiter ſolus deliq lorum aſſecutus dominium generaliter rerum omnium incremēta cōtribuit ſed peculiariter hominibus largitur gloriam corporis ſalubritatem animorum tranquilitatē gaudia pacem lucrorum copioſa præſidia remq; familiarem exaggerat. Cum potentioribus conciliat adauget regibus atq; principibus præcipue ioualibus religionem bonum nomen magnanimitatem liberalitatem atq; beneficia in populos animalium utilium ad uitam degenda decernit copiam & hubertatem noxiarum uero infligit exitium atque interitum fruges rei præſertim frumentariæ & terræ fructus auget atq; conſeruat & his ſimilia efficit uigebit cœli clementia & aer temperatus atq; ſalubris ſpirabunt uentorum ſlatus humidi deindeq; imbres ſalutigeri terreſtrium altrices efficit deniq; fluuiorum aquas moderatas & pelagi fluxus atq; refluxus temperatos tranquillaſq; tempeſtates fortunat claſsibus curſus et utiles in plurimum nauigationes a pyratis atq; tempeſtatibus procelloſis tutas & tandem uniuerſe felicitatis eſt autor.

Mars ubi ſolus fuerit ecodeſpoteshoc eſt deliquij dominus in ſigni præſertim igneis generaliter ex ſui natura ingerit feruorem maximamq; aeris ſiccitatem pluuiarum raritates Aquæ potabilis plurimos fontes deſiccat fluuiorum latices magna ex parte abſorbet aut pleroſq; corrumpit torrenteſq; efficit aridiores In ſignis aereis excitat uentos calidos corporibuſq; humanis tabificos atq; peſtilentes fulminum iaculationes horrendaq; tonitrua corruſcationes & fulgura & propter uentorum commixtiones turbinoſos procelloſoſq; nimbos naufragia ſubitaſq; na-

uium

uium ſubmerſiones, Animantes ſiue beſtias, quæ neceſſariæ ſunt ad uſum uitæ humanæ peſſundat, uegetabilia e tellure pullulantia ex locuſtis, conflagrationibus, æſtusq; pernitioſos exurit, fruges corrumpit, uel in ipſis horreis putrefacit. In ſignis humanis peculiariter infert acutas febres tertianas, morbos æſtuantes, ſanguinis corruptiones, ijs præſertim, qui uiri**le** degunt ætatem. Ingerit præterea ædificiorum ruinas, incendia, rapinas, depopulationes, cruentas hominum ſtrages, ſæuitq; bellis, inteſtinisq; ſeditionibus, tumultibus plebeis ex Regum tyrannide, ac principum iracundijs, ex iis miſelli contumelias, exilia, atros carceres, & denique uiolentas, inopinatasq; mortes deguſtabunt, uirtute præditi flocipendentur, facinoroſi erunt in pretio, & illicita perpatrabunt, ac leges tranſgredientur.

Venus dominatum ſibi arrogans præſertim bene affecta generaliter illud idem efficit quod Iuppiter, cum quadam uenuſtate. Peculiariter uero hominibus præbet corporis ſanitatem, ac decorem, animi tranquillitatem, frugiferos annos, mundum uictum, præcioſam ſuppellectilem, diuitiarum incrementa, reuerentiam, honores, honeſtam uenerationem, bonum nomen, ac famam apud potentiores. Conciliat enim gratas neceſſitudines regum, inclitarumq; mulierum, plebei a nobili non diſſentient, legem, ac iura ſeruabunt, Venerei præſertim Muſici læta ſorte fruentur. Ad iocos, luſus, gaudia, choreas, lauta conuiuia, egregiam uenerem, connubia læta, & liberos ſeminandos ſolito prōcliuiores, Aera uentis complet humidulis temperatis, & cum ſerenitate commoda fœcundiſſimis, demittit tempeſtiuos imbres

atque pluuias ſalubres, benigni præterea uentorum flatus, cœli clementiam, atque aeris ſerenitatem, & nauibus curſus felices, lucroſosq; ſucceſſus tribuit, fluuiorum alueos complet, aquæ fontium dulces, huberius ſcaturient: arbores ſuos emittent fructus optimos: animantum utilitati, & hominum commodis ſeruientium, & frugum in primis opulentiam, commoditatesque conſert maximas.

Mercurius dominationem adeptus generaliter quidem in illius ſtellæ naturam ſe inſinuat, atque conuertitur, cum qua fuerit configuratus. In figurationibus igitur cum maleficis omnium maxime impetuoſus ſuſcitat uentos uarios, turbulentos, exitioſos, uehementes, & inſtabiles, in equoreis itineribus difficultates, & naufragij diſcrimina, eſt etiam pyratarum inuaſiones, furtorum, atque latrociniorum author: Imittit præterea corruſcationes, ſeu flammantia fulmina, tonitrua, repentinos nimbos, turbinoſasque procellas: Concutit, & diſſipat terram, quippe qui magnos terræ motus, & uaſtos telluris hiatus excitat, Ob Solis uicinitatem, ac ſui curſus celeritatem infligit aeris ſiccitatem, & mobilitatem, occiduus flumina ſiccat, eous explet.

In his, quæ humana ſunt, eſt Acer, efficax rerum alienarum uſurpator, inclinatque homines ad latrocinia, rapinas, furta, depopulationes, mendacia, fœnora, irreligionem, prauasque hæreſes, habet ſuis temporibus morum, ac legum mutationes, habet ſacerdotalem rationem; cultusq; diuinos, prouentusq; regios, Interdum eſt pernitioſus uſibus aptis uitæ humanæ; quin etiam animantibus uegetabilibus, ac frugibus, author morborum, ſiccitatis,

tuſſis, anhelationis, & tabis, infertque uomitum, ptiſim, & acu tas febres quotidianas, ſed bene affectus contrarium decernit.

Ex dictis Ptolemæi colligitur, quatenus luminarium defectus nihil mali portendunt quando ſtellæ ſalutares Io. & Vene. in locis deliquiorum dominatum ſibi uendicant, præcipue ſi fuerint ſequentis anguli hoſpitatrices bene affectæ procul exiſtentibus maleficarum ſtellarum hoſtilibus radiis. Luminarium eclypſes illos potiſſimum inficiunt regionum, ciuitatum, & oppido rum accolas, qui deliquii ipſius ſigno, aut tetragono, uel diame tro ſubiiciuntur.

Manilius libro. iiii.

Ari. *Lanigerum uenerata colit, uicinia propontis,*
Et Syriæ gentes, & laxo Perſis amictu,
Veſtibus ipſa ſuis hærens, Nilusque tumeſcens
In cancrum, & tellus Egypti iuſſa natare.
Tau. *Taurus habet Scythicos portus, Aſiamque potentem,*
Et molles Arabes, ſyluarum ditia regna.
Gemi. *Euxinus Scythicos pontus ſinuatus in arcus,*
Sub Geminis te Phœbe colit, poſt brachia fratris,
Vltimus, & gelidus ganges. Colit India Cancrum.
Canc. *Ardent Ethiopes Cancro, cui plurimus ignis*
Hoc color ipſe docet. Phrigia Nemee potiris.
Leo. *Cappadocum Armeniæq; iugis, Bithynia diues*
Te colit, & Macedum tellus, quæ uicerat orbem.

Vir. Virgine ſub caſta felix,terraque,marique
Eſt Rhodos,hoſpitium recturi principis orbem,
Tuq; domus uere ſolis,cui tota ſacrata es,
Ioniæ quoque ſunt urbes,& dorica rura,
Archades antiqui,celebrataque Caria fama.
Lib. Heſperiam ſua libra tenet,qua condita Roma,
Orbis,& imperium retinet diſcrimina rerum,
Lancibus,& poſitas gentes tollitque,præmitque,
Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem,
Et propius frenat pendentem nutibus orbem.
Scor. Inferius iunctæ ſydus Carthaginis arces,
Et Lybiam,Aegyptique latus,donataque regna,
Numidiam,quam Scipio Masſimiſſæ donauit,
Tyrrhenas lachrimis radiatus Scorpius arces
Eruit,Italiæque tamen reſpectat ad undas,
Sardiniamque tenet,fuſasque per æquora terras.
Sag. Gnoſcia centauro tellus circundata ponto
Paret,& ingenuum Minois filius,Aſtrum
Ipſe uenit geminus,celeres hinc creta ſagittas
Aſſerit,intentosque imitatur ſyderis arcus,
Inſula Trinacriæ fluitantem adiuta ſororem,
Subſequitur Creten,ſub eodem condita ſigno,
Proximaque Italiæ,& tenui diuiſa profundo.
Capr. Tu Capricorne regis quicquid ſub Sole cadente
Expoſitum,gelidamque Helicen,quod tangit,ab illo
Hiſpanas gentes,ſeu quod fert Gallia diues,

Teque feris dignam tantum Germania matrem
Aſſerit, ambiguum ſydus, terræque, mariſque
Aeſtibus aſſiduis terram, pontumque tenentem.
Aqua. Sed iuuenis nudo formatus mollior arctu
Aegypto ad leptimque arces Tyriasque recedit,
Et Cilicum gentes, uicinia, & Aquarius arua.
Piſ. Piſcibus Efrates datus eſt tibi Piſcis Arator
Cum fugeret Typhona uenus ſubſcedit in undis
Magna iacet tellus magnis circundata ripis
Parthi, ſed parthis domitæ per ſecula gentes,
Bactraq; & Herios Babilon & Suſa panoſq;
Et Tygris & rubri radiantia littora ponti,
Nominaque innumeris uix amplectenda figuris.

Quæ loca ſignis XII. cœleſtibus ſubijciuntur ſecundum Ptolomæum.

Ari. Baſtamia, Syria inferior, quæ Idumæam, Iudæam, & Paleſtinam complectitur. Item Britania, ſiue Anglia, Luſitania, quam uulgo nunc Portugalliam appellant, Germania, ſeu Alemania. Item Gallia, quam nunc Franciam uocitant.

Tau. Parthia, Media, Perſis, Cyclades, Cyprus inſula, locaq; maritima Aſiæ minoris, quæ complectitur Myſiam, Troadem, Phrigiam, Ioniam, Lydiam, ſeu Meoniam, Cariam, omnis ille tractus nunc Turchia, ſeu Natolia dicitur.

Gem. Armenia, Hyrcania, Mantiana, ſeu Margiana, Cyre-

naica, Marmania, Aegyptus inferior.
Canc. Numidia, Bythinia, Phrigia, Cholchis, Pontus, Barbaria, Chaldea, Tartariæ pars: Arabia unde Arabes, ſeu Nomades: Africa minor: In Africa olim Carthago erat metropolis: nunc uero Tunes.
Leo. Orchinia, Phœnicia Syriæ pars, Chaldea, Babilonis, Tripolis, Sicilia, Gallia togata, ſeu Ciſalpina: quam Inſubriam, & Lombardiam nunc appellant. Item Apulia, & tota fere Italia præter Hetruriam.
Vir. Achaia, Creta inſula, Græcia olim Helles dicta. Item Teſſalia, Emonia, Macedonia, Tracia, Aſſyria, Babilonia, Meſopotamia, ſeu Interamnia.
Lib. Bactriana: Caſpéria: Serica: Thebais: Oaſis arenoſus, Traglodítica: & uti Manilius cecinit.
Heſperiam ſua Libra tenet, qua condita Roma
Orbis & imperium retinet diſcrimina rerum.
Scor. Mauritania: Getulia: Capadocia, ubi erat Trapezuntia. Item Syria: Numidia: Metagonitica: Tingitana: Comegena: Paphlagonia, ſeu Galacia.
Sag. Eudemon, id eſt, Arabia felix: Regio Celtica: prouincia Narbonenſis: ubi Narbona: & Maſſylia. Item Hiberia, ſiue Heſperia, hoc eſt Hiſpania: Lyguria: ſiue ora Lyguſtica, ubi Genua. Item Hetruria, ſeu Tuſſia: Toſcana Lunenſis: Luneſana uulgo nuncupata.
Cap. India: Ariana: Gedroſia, quæ in Aſia ſunt: Corinthus uero: Illirium. & Macedonia in Europa. Illyrium continet

Liburniam, atque Dalmatiam: ſeu Sclauoniam: Albania: Croacia: Iſtria, quæ Epyri partes ſunt: Græciæ tamen regiones. Item Boemia: Tracia: quæ nunc Bulgaria dicitur

Aqua. Arabia petrea: atque deſerta: Azania in ſinu Arabico: Aegyptus: ſiue Aethiopia: Media: Oxiana: Sogdiana: Sauromacia: ſiue Sarmacia in qua eſt Roſſia: Pannonia: Tranſiluania: Polonia: Scythia: quam Sacas Scythas ſcilicet: hoc eſt Tartaros incolere inquiunt. Item Myſia inferior: quam nunc Valachiam uocant. Ad oſtia Iſtri hoc eſt Danubij.

Piſ. Lydia olim Meonia dicta: ubi ſunt Hermus, & Pactolus fluuij. Item Galitia: Pamphilia: Garamantica: Phazania in Africæ ſolitudinibus: Naſamonica.

Quæ loca, ſeu Ciuitates XII. Signis cœli ſubijciantur ſecundum Neotericos Genethliacos.

Ari.	Tau.	Gem.	Can.
Polonia minor	Polonia maior	Aegyptus	Babilon
Germania	Heluetia	Flandria,	Gallia
Angliæ pars	Forum Iulij,	Norimberga	Mediolanum
Craccouia	Frioli uulgo	Virteberga	Lucca
Patauia	Taruiſium	Ceſena	Sabaudia
Fauentia	Verona	Viterbum	Rodos
Foru Cornelij,	Bononia	Vercelle	Norimberga
Imola nunc	Sene	Taurinum	Bizantium
Florentia	Salernum	Tridentum	Venetiæ
Neapolis.	Anchon	Regium	Vicentia

Leo.	Virg.	Libra	Scorpio
Damaſcus	Toletum	Italiæ pars	Scotia
Boemia	Pariſiorū pars	Roma uetus	Valentia
Praga	Parentia	Viena auſtria	Aquilea
Sicilia	Peruſiæ pars	Saliſburgum	Forum Iulij
Vlma	Nouaria	auguſta unide	Ariminum
Apulia	Papia	Laudum	Camerinum
Croton	Comum	Placentia	Vrbs uetus
Mantua	Aretium	Parma	Genua
Cremona	Ferraria noua	Piſaurum	Crema
Rauenna	Cume	Gaieta	Pauia
Peruſiæ pars	Tarentum	Sueſſa	Ferraria uetus
Roma		Panonia	

Sagit.	Cap.	Aqua.	Piſces
Hiſpania	Bauaria	Saxonia	Luſitania
Dalmatia	Styria	Boemie pars	Hybernia
Vngaria	Engolſtadia	Ethiopia	Normandia
Buda	Gremitium	India	Alexandria
Hieruſalem	Emilia ſeu	Macedonia	Ratiſbona
Auinio	Romandiola	Taurica regio	Colonia agripa
Aſtum	Forum liuij	Hieroſolima	Venetiarū par
Firmum	Tortona	Conſtantia	Inarimes ſeu
	Mutina	Vrbinum	Pytanica.i.
	Cortona	Forū ſempro.	Schiauulga
	Pratum	Foſſebrone	

De

De coloribus in luminarium deliquijs, ex Ptolemæo In Arabica translatione.

q Vando color eclypſis fuerit niger, uel quaſi uiridis ea, quæ Saturni naturnam imitantur, ſignificabunt, utpote frigora intenſiſſima. Quando colores eclypſium albi fuerint, ea quæ ſunt ex natura Iouis ſignificare dicuntur. Color enim albus, qui aliquantulum tendit in cinericium ſignificat temperantiam, & propter hec circundat cum natura Iouis: Quod ſi ad rubedinem declinauerint, ſignificabunt ea, quæ ſunt de natura Martis calorem, & ſiccitatem. Si fuerit Croceus color tendens ad colorem aureum ſignificabit ea, quæ ſunt de natura Veneris, Aeris ſcilicet temperiem, & cœli clementiam: At ſi diuerſorum colorum fuerint, ſignificabunt ea, quæ ſunt de natura Mercurij. Si autem color ille totum corpus luminaris, uel eorum, quæ circa ipſum ſunt amplexabitur: In maiori parte regionum futura accident, Sed ſi aliquam duntaxat partem luminaris, uel eorum, quæ circa ipſum ſunt, occupauerit, in ea parte ſolummodo, quæ in directo partis illius in qua color ille apparuerit, futurum accidens eueniet.

De coloribus eclypſium ex Ptolemeo. Interprete Ioadrino Camerario.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

o Bſeruandi etiam ſunt in uniuerſalibus conſiderationibus colores in deliquijs, non modo ipſo-

rum luminum, uerum aliorum quoque, quæ iuxta illa ſolent col
ligi, ut uergiliarum, ac arearum, & quæ alia ſunt huiuſmodi:
Nam ſi nigra, ſiue liuida eſſe uideantur, ſignificant ea, quæ de
Saturni natura expoſuimus. Candidus color Iouius eſt. Rutilus
Martis, flauus Veneris, uarius Mercurij. Quod ſi coloris
proprietas per tota luminum corpora, aut alia etiam loca ſe dif
fuderit plurimis regionis partibus futura decernit. Sin quacun-
que a parte apparuerit illis partibus in quas ſe proprietas il-
la inclinabit. Obſeruandæ & crinitæ, ſeu in deliquijs, ſiue alio
quolibet tempore fulſerint. In conſiderationibus uniuerſalibus
quales ſunt, quæ dicuntur trabes, tubæ, dolia, ac huiuſmodi: eſt
enim harum naturæ effectio martiæ, ac mercurialis proprieta
tis, bellorum, æſtus, turbulentiæ, & eorum, quæ iſta ſequi con-
ſueuerunt.

Ex Proclo Diadoco Licio Præditiones ſuper effectibus ecly-
pſium utriuſque luminaris, per ſingulas ſignorum tri-
plicitates. Interprete Laurentio Miniatenſe.

Ignea	Terrea	Aeria	Aquea
Ari. Leo. Sag.	Tau. Vir. Cap.	Ge. Li. Aqua.	Ca. Sco. Pi.

Alterutrius luminaris eclypſes in triangulitate, ſeu triplicita-
te ignea denunciant: Armentorum, pecudumque interitus, Ma-
gni Regis, ſeu Principis exilia, carceres, aut internitionem; In-
ter plebeos, & potentiores odia, mutuas ſimultates, disſidia,
magni exercitus motum, bella horrida, hominum ſtrages, incen

dia,furta,rapinas,& depopulationes;prægnantium abortiuos, acutas febres,epidimiam ob aeris uredinem, & caumata,frugum ſterilitatem,& annonæ penuriam,in regionibus præcipue,quæ eclypſis ſigno ſubijciuntur,excellentem mutationem.

In triplicitate terrea quum acciderit eclypſis alterutrius luminaris,fructuum penuria, & præcipue frugum,ſatorumque continget,quippe quòd spicifera,uidelicet,uirgo,& arator taurus,& in primis caper huiuſmodi fructus comedere,& deuaſtare conſueuerunt.

In aeria humanaque triangulitate famem, & atrociſſimas ægritudines,morbosque peſtilentes,procellososque uentos ingerere conſueuerunt miſeris mortalibus exitioſos.

In Cancro autem,uel Scorpio,aut Piſcibus aquea triplicitate, plebis,& turbæ ignobilium interitus,diuturnæque bellorum ſeditiones,& aquatilium,maritimorumque,& in æquore degentium pernities magna ingruent.

Decreta,ſiue effectus iudiciarij,ex deliquio Solis in qualibet.xij.ſignorum decamoria.

Solis labor in Ariete.

Ari.xx. Sol quam luminis defectum perpeſſus fuerit in primo Arietis decano, hoc eſt in aliquo ex primis.x.gradibus ipſius,portendit armorum tumultus,& exercituum crebros motus,atque continuas expeditiones,inſultusque bellorum cum maximo impetu,ſeditiones,controuerſias,furta,rapinas,expilationes,necnon aeris intemperiem ad ſiccitatem,& uapores potiſ

ſime uergentem.

Ari.xx. *In ſequentibus autem.x.gradibus, qui ab initio xi.exordiuntur, & in calce.xx.terminantur: ſi defecerit* Sol, Regis *detentionem, aut carceres, uel exilium, merorem, & mortis diſcrimina denunciant; arborum quoque fructiferarum corruptionem, & terræ naſcentium putredinem, & ex conſequenti caritatem.*

xxx. *In ultimis.x.partibus* Ari.*triſtitiam, & luctum afferre martalibus, magneque mulieris, aut* Principis *obitum, & pecudum pernitiem decernit.*

Labor Solis in Tauro.

Tau.x. *Sol in* Tau.*primis.y.gradibus, quem defecerit lumine negociatores affliget, corumque contractus irritos faciet, & ijs qui e mercimonijs lucra ſectantur, aut quæſitum faciunt, uehementer obſiſtit, ſemina terræ ſulcis commiſſa pereunt, nec omnino ſata pululabunt, imo fructuum penuria, & præcipue frugum ſatorumque continget.*

Tau.xx. *In ſequentibus uero.x.partibus, prægnantibus, parturientibusque ingens periculum adducit.*

Tau.xxx. *In poſtremis.x.peſtem, & famem affert.*

Deliquium Solis in Gemi.

Sol in primis.x.gradibus Gem. *lumine ſuo fulgentisſimo deficiens, ijs qui ſacris iniciati ſunt, aut in templorum cæremonijs præſunt, diſcordiam, odiaq;, & inuidiam parit, atque ſciſmaticas ſimultates, & in ijs quæ ad res ſacras, uel ad præcepta diuina, religionemque ſpectant, multiplicem diſcrepantiam,*

negligentiamque, & contemptum legum.

In ſequentibus.x.latrocinia maritima, pyratarum rapinas, & multorum hominum cedes minantur.

In ultimis.x.magni Regis obitum, & ſtatus publici uaria detrimenta, reliquarumque rerum ciuilium perturbationem, irritumque, & uanum negotiorum, atque tractatuum reddet ſucceſſum, & in literarum ſtudijs perturbationem.

Labor Solis in Can.

Sol in Cancro primis.x.gradibus lumine impeditus, ſeu deficiens ingentem aeris perturbationem, mutationes magnas, cœli, & ætheris decernit.

In ſequentibus.x.fluuiorum ariditatem, ſiccitatemque, & multam in hominibus petulantiam, atque incontinentiam.

In ultimis.x.per uniuerſam Armeniam, & Africam, cæteraſque Cancro ſubiectas regiones, morbos exitioſos, ægritudines peſtilentes, afflictiones, diſſidia, ſeditioneſque concitat, & plurimorum mortes.

Defectus Solis in Leone.

Sol in primis.x.gradiaus Leonis deficiens, mortem Regis, uel ſummi Principis, & rei frumentariæ, frugumque penuriam denunciat.

In ſequentibus.x.magnam Regis anxietatem, & mæſtitiam pernitioſam nobilium, & magnatum ſtragem, & omnino multorum procerum iacturas.

In ultimis.x.captiuitates, obſidiones, direptioneſque, & templorum expoliationes, & tnter religioſos ſciſmata, magnaſque

controuerſias.

In Virgine Solis labor.

Sol in primis. x. gradibus Virg. deficiens, calamitoſum Regis exitum, & ſtragem futuram denunciat, præcipue mercurialibus, frugumque inopiam, & annonæ penuriam.

In ſequentibus. x. famem, & peſtilentiam, & inter mortales ſeditionem, & multorum ſtrages.

In ultimis. x. pictoribus, poetis, & mercurialibus, qui ingenio, & intellectu cæteris maxime præſulgent, aut calamitates, aut deiectionem, aut caſum, uel exilium, ſeu carceres ex querela uel Regis indignatione minatur.

In Libra Solis labor.

Sol deficiens lunæ obiectu in Libra primis. x. gradibus corruptionem aeris, & peſtem annonæ raritatem, & anguſtiam, ſeu famem, & atrociſſimas ægrotationes morborumque, peſtilentes febres, mortalibus ingerere conſueuit.

In. x. ſequentibus magni regis, ſeu principis mortem, hominum ſeditiones, bella, famem, & epidimiam.

In ultimis. x. nobilium, & procerum controuerſias, contradictiones, & ſimultates, reique pecuniariæ diſperſionem, & ex mercimonijs iacturas.

In Scorpione Solis defectus.

Sol deficiens in primis. x. gradibus Scorpij exercituum, moleſtias, & præſſuras, quin etiam inteſtina, mutuaque bella cum captiuitate multa, & plurima cede hominum præcipue martialium.

In ſequentibus.x.partibus Regis pernitiem, exercituum inſolentias,& multas controuerſias,aeriſque intemperiem.

In ultimis.x.aduentum tyranni alienigenæ,ac ueri principis fugam,negligentiamque,& ignauiam,imo in ſignis aqueis Sol deficiens ignobilium,& plebis interitum, diuturnaſque bellorum ſeditiones,& aquatilium,marinorumque,& in æquore degentium excidia,& magnam perniciem denunciare uidetur.

In Sagitario Solis labor.

Sol deficiens in primis.x.partibus Sag.manifeſtas contrarietates,& diſſidia inter mortales,neque conſenſum, neque concordiam inter eos,præcipue degeneres,& uiros generoſos ullam fore demonſtrat,regiſque mortem.

In ſequentibus.x.camellorum,equorũ rudentium,iumentorũ cæterorumq; eiuſmodi genernis aimalium interitum denũciat.

In ultimis.x.equorum quoque corruptiones,ſeu mortem,calamitates hominum,indigentiam,rerumque inopiam, & aeris ſiccitatem denunciat.

In Capricorno Solis labor.

Sol in primis.x.gradibus capri deficiens infelicem magnorũ uirorum caſum,Regis tranſmigrationem, non modo nobilium, ſed & confuſe multitudinis,ac plebis rebellionem denunciat.

In ſequentibus.x.imperatori, & ijs qui copijs militaribus, exercitibuſque præſunt,conatus omnes irritos facit,& infortunato euentu,exituque,fruſtrari oſtendit: militariſque apparatus diſſipationem,& excidium.

In ultimis.x.tumultuarium Regis motum,rerumq; inopiam,

famem, & epidimiam minatur.

In Aquario Solis labor.

Sol in primis. x. gradibus Aquarij deficiens publicum mœrorem luctum, & multorum mortes denunciat.

In ſequentibus. x. latrocinia, rapinas, furta, expilationes, & uiarum abſciſiones, impedimenta, terræmotum, penuriam, & famem.

In ultimis. x. ouium, agreſtium, brutorumque eiusdem præcipue generis interitum obnunciat.

In Piſ. Sol deficiens.

Sol in primis. x. gradibus Piſ. deficiens fluuiorum ſiccitatem, & maritimarum rerum uilipendium, & ignobilitatem decernit.

In ſequentibus. x. clari præſtantisque uiri mortem, ac in maritimis regionibus, piſciumque ſigno ſubiectis ægrotationes, terræmotumque.

In ultimis. x. gradibus ſeditiones, crudelitatemque, ferociam, & inhumanitatem militum prouocabit.

Eiuſdem Procli Diadochi Licij Apoteleſmata, ex Lunæ deliquijs.

Luna in primo Arie. decano lumine deficiens, acutas febres futuras denunciat, incendia, combuſtiones, nemorum, & ſyluarum, atque Aeris ſiccitatem multam, annonæque caritatem.

In ſequentibus. x. gradibus epidimiam, ſeu peſtem infert.

In poſtremis eiuſdem ſigni partibus abortiuos multos, & parturientium pericula minatur.

Luna in Tauro primis.x.gradibus lumine deficiens putredinem, corruptiones, & interitum ſignificat; agreſtium, pecudum & frugum inopiam.

In ſequentibus.x.gradibus Reginæ obitum, & ſatorum, ſeminumque ſterilitatem, annonæque raritatem.

In ultimis.x.ſerpentum, cæterorumque reptilium pernitiem, & armentorum ſtrages denunciat.

Luna in primis.x.partibus Gem.deficiens hoſtium incurſiones, & rapinas excitabit.

In ſequentibus.x.repentinos exercituum motus, incurſiones, & moleſtias prouocabit.

In ultimis.x.magni, præſtantisque uiri obitum, & plurimam inter mortales contradictionem.

Luna in primis Can.x.partibus, ſeu primo decano deficiens lumine bellum fore demonſtrat, & multorum ſtrages, & æquora ſulcantibus naufragij diſcrimina.

In ſequentibus.x.Can.gradibus exactiones quibus tributa colliguntur a regibus aurum, & argentum per omnia acerbiſſime conflabitur, & populorum a regibus expilationes.

In ultimis.x.ſubitos in muliebri ſexu morbos, & quidem acutos, ac miſeriam, & necem repentinam.

Luna in primis.x.gradibus Leonis paſſa deliquium, celerem regis infirmitatem, aut mortem præcellentis uiri, ſeu principis denunciat.

In proximis.x.iter Regis, & mutationem de loco ad locum plurimorumque peregrinationes.

In poſtremis.x.magni exercitus motum, & gentium mutuos inſultus, atque expeditiones.

Luna in primis.x.Virginis partibus deficiens, magni Regis morbum, & ægrotationem fore demonſtrat; Interque homines uarias, & multiplices diſcordias, & contradictiones excitabit.

In ſequentibus.x.triſtitiam, mœrores, anxietatesque; conſiliarijs regalibus, imperialibusque ſcribis moleſtias, detrimenta, & infortunia inferret.

In ultimis.x.peſtiferos hominibus morbos, mulierum excidia & mortem minatur.

Luna in primis.x.gradibus Libræ quum defecerit ſuo lumine grandinum, & uentorum copiam, plerunque futuram denunciat, & nauigantibus naufragium.

In ſequentibus.x. primis, uitium palmitibus, & uuarum racemis, ac reliquis fructiferarum arborum generibus, pernitioſam excitabit ruinam.

In ultimis.x.magni, clarique uiri obitum minatur.

Luna lumine deficiens in primis.x.gradibus Scorpij, horrenda tonitrua, & fulmina comburentia portendit, & interdum terræmotum.

In ſequentibus.x.oliuarum corruptionem, ſiccitatemque aeris hominibus uero febres æſtuoſas.

In ultimis.x.oliuarum quoq; caſum & ſiccitatem uredinemq; Aeris furioſos etiam phreneticos inſanosq; homines facit &

morbos inſanabiles medicisq; incognitos excitat quin etiam rumores contradictiones controuerſias inter mortales.

Luna deficiens in primis.x.partibus,ſiue primo decano, Sagittarij latrocinia,& rapinas fore multas denotat.

In ſequentibus.x.equorum,mularum, & armentorum interitus plurimos denunciat.

In ultimis.x.peſtilentiam,ægrotationesque malas,& pernitioſas inter mortales excitare conſueuit.

Luna in Cap.primis.x.gradibus lumine deficiens plurimas contrarietates,ſuggillationesque inter homines identidem futuras,ac præſtantis uiri cedem pernitioſam denunciat.

In ſequentibus.x.crebros inſultus militum, exercituumque impetuoſas incurſiones,latrocinia,rapinas,expilationes, exilia, aut captiuitates.

In ultimis.x.regis mortem,& populi ſeditionem.

Luna deficiens in prima Aqua. decamoria, grauisſimam infirmitatem regi futuram denunciat.

In ſequenti autem decano disſipationem terræ naſcentium,ſatorumque,& ſeminum penuriam.

In ultimo autem decano inſignem rerum omnium mutationem facit,quia quicunque grauiora perpesſi ſunt,amalis liberantur, & febres deprimuntur.

Luna deficiens in primis.x.gradibus Piſ.ſacerdotibus, & ijs qui in templis, ſacrisque locis cæremonijsq; præſunt,luctum, meroreque afferet.

In ſequentibus uero.x.magni præſtantisque uiri obitum de-

nunciat.

In ultimis latrocinia, rapinaſque, & terra, & mari promiſcuas excitare conſueuit.

Diuus Hermes Centiloquij ſui.lij.enunciato.

Iunt in mundo multa incommoda, quando erit in uno menſe utriuſque luminaris eclypſis, & præcipue in his locis in quibus eſt eorum ſignificatio ſpecialis.

Meſſala de eclypſibus Lunæ. Cap.v.

Oportet te conſiderare eclypſes anni, tam lunares, quàm ſolares, & ſcire aſcendens mediæ eclypſis, & cum planctam, qui præfuerit eidem aſcendenti, & eius figuræ; qui ſi fuerit malus ſignificabit impedimentum, & deſtructionem, ſi uero fuerit fortuna, ſeu planeta beneficus ſignificat aptationem: & ſcito quòd eclypſis Lunæ cum fuerit in ſignis frigidis, ſeu aqueis ſignificat grauitatem frigoris, & nimias pluuias, præſertim ſi fuerit hyems. Si uero fuerit æſtas ſignificat, temperamentum aeris, & quum fortunæ aſpexerint Lunam, & eam receperint, erit eius ſignificatio ſuper bonum, & proficuum.

De eclypſi Solis.

Scito quòd in eclypſi Solis non poteſt fieri, quin ſignificetur aliquod magnum accidens, ſecundum quantitatem ipſius eclypſis, Scientia autem eorum, quæ accidunt de eclypſi Solis eſt, ut ſcias aſcendens mediæ eclypſis, & planctas uincentes ſuper

figuras eclypſis, quòd ſi fuerint maleſici, ſignificat malum, et detrimentum, & mortem regis, atque diuitum, & ſi fuerint fortunæ ſignificant, fortunam, & aptationem rerum, & ſcias quòd eclypſis Solis, quum fuerit in Ari. minatur. Regum, & potentiorum, atque diuitum, & ſiccitatem, terræque ſterilitatem, atque famē, et ita in cæteris ſignis igneis Leone, uel Sagitario. In aquaticis autem Canc. Scor. Piſ. ſignificabit multitudinem pluuiarum, & ab eis detrimentum. Intellige etiam, quòd beneficæ ſtellæ quum aſpexerint, malum diminuent: Maleficæ uero quum aſpexerint, amplificabunt illud, & minuent fortunam. Scito etiam, quòd quando Sol, uel Luna fuerint hylech, uel alcocoden alicuius nati, & obſcuratus fuerit, ſignificabunt ei cuius fuerit hylech, uel alcocodea maximum uitæ periculum, uel infirmitatem magnam, niſi fortunæ aſpexerint.

FINIS.

Romæ, Antonius Bladus Aſulanus excudebat,
Anno Domini M. D. XXXIX.
Menſe Decembri.

Errata hæc emendata.

Pagina	Facie	Virgula	Vbi dicit	castigetur.
2	1	10	& Ptolemæi	ex Ptolemæi.
4	2	1	Celebranda	Celebrandus.
4	2	2	Rutidos	Rutilos.
7	2	13	Precellentes	Precellentis.
13	2	5	Cecodeſpotes	Oecodespotes.
16	2	7	Poteris	Poterit.
16	2	13	Maligne	Malignæ.
23	2	2	Eclyps	Eclypſis.
24	1	9	12 1	ſupra.1. ſcribatur S.
25	1	4	Reuolutionem	Reuolutionum.
26	1	5	Siue	Scire.
27	1	18	Supra dies	Ponatur Sol.
27	2	25	Quem	Quum.
28	1	6	Conditionari	Conditionarii.
28	2	1	Affectis	Affecti.
28	2	16	Tepatri	Et patri.
32	1	20	Peculiriter	Peculiariter.
32	2	9	Atquæ	Atq;.
32	2	19	Signi	Signis.
33	1	7	Homiuum	Hominum.
33	1	21	A nobili	A nobilibus.
34	1	12	Vicinia	Vicina.
35	1	6	Vicinia	Vicina.
36	1	11	Garamaniica	Garamantica.
36	1	23	Eorum cornelii	Forum.
36	2	4	Vieña	Vienna.
36	1	22	Agripa	Agrippina.
36	1	23	Vene iarum par	Pars.
36	1	25	Pytanica	Pitacuſa.
36	1	26	Schia uulga	Iſchia uulgo.
37	1	9	Cum	Eum.
37	1	21	Ioadrino	Ioachino.
38	1	20	Ari xx	Ari x.
38	2	9	Martali	Mortalibus.
38	2	12	Primis v	Primis.x.
39	1	19	Gradiaus	Gradibus.
40	1	14	Genernis	Generis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

by Google

REST. LIBRO ANTICO
Cav. Giovanni D' Giacomo
Tel. 71600 - PESCARA
1975

BIBLIOTECA N
1